






BARTHOLOMÆI TORTOLETTI

S.THEOL. DOCTORIS

IVDITHA VINDEX
ET
VINDICATA



Romæ Typis Vaticanis. 1628. *Superiorum permissu.*



Dom. prob. par. Soc. Iesu.

VRBANO VIII.
PONT. OPT. MAX.

Bartholomæus Tortolettus
Post humillima Apostolicis impressa pedibus oscula, felicitatem D.





N castra Assyriorum Imperatorem obtrun catura IVDITHA HEBRAEA prodiuit antiquitùs. In conuentus litteratorum nemini mortem, sibi vitam quęsitura IVDITHA LATINA prodit hoc tempore. Vouit tunc Deo caput suum; nunc Vindex Votum est Virgini, Vindicata obsequium Principi. Ibià Pontifice collaudata; Hìc Pontificem adoratura. Ciuibus ab ea salus; Vtinàm ab hac mihi. Auibus, aut certè Api-

bus, Beatissime Pater, veſtris auſpicibus hæc, inquam, prodit; lucrum ingens; nam quod à ſe ipſa referre neutiquàm poteſt, è maieſtate Principis hauriet. Ego vero quod in mea eſt poteſtate, totum exhibeo; etenim cui Deus immortalis ſummum in hac vita negauit nihil, eidem omnia tribuere mortales decet, meq; in primis benignè habitum, & beneficijs vltrò affectum. Viuat diù, Sanctitas Vestra, vt nobis viuere felicitèr liceat, & ſua virtute fruatur, & gloria.

AD VRBANVM VIII.
PONT. OPT. MAX.

IAmpridèm IVDITHA manu caput explicat hoſtis,
Inq; triumphalem tota parata viam eſt;
Laurea temporibus pendet, chlamys aurea collo,
Currus ab implacidis ſollicitatur equis,
Suſpiciunt populo iuga Vaticana frequente,
Ante pedes quando prodeat illa tuos.
Interdicta domi tamèn eſt, atque obice clauſa;
Annue, ſuppliciter cernua poſcit opem;
Nam ſi laurigeram iubeas procedere pompam,
Hic, VRBANE, tuus magne triumphus erit.

AD CAROLVM S. R. E.
CARDINALEM PIVM.

IN dudum optatum Vindex IVDITHA triumphum
Ecce tuis prodit, CAROLE, de laribus,
Quippè domos habuiſſe decet, quæ fortiter arma
Exeruit patria pro pietate, PIAS.
A quò, ſi videas, ad quem deducitur illa,
Non poterat geminis clarior eſſe locis.



Imprimatur

Si videbitur Reuerendiss. P. M. S. P.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

CVM *mihi à* Reuerendissimo *Patre Nicolao* Rodulfio *Magistro* S. *Palatij* Apostolici *demandata fuerit prouincia Epicum recolendi carmen in quinque distributum libros Bartholomæi* Tortoletti *V. C. de* IVDITHA *Vindice, & Vindicata, quò meam hoc de opere sententiã enuntiarẽ; nihilq; repererim, quod Christianam non sapiat fidem, quod insignem non redoleat cum pietate doctrinam,* Typis *dignissimum arbitror, vt potè rei litterariæ maximo vsui, atque ornamento futurum. Datum die* 16. *Aprilis* 1628.

Don Io. *Aloysius* Cerchiarius *C.R.Congr.Somaschæ.*

Imprimatur

F. Nicolaus Rodulfius S.Pal.Mag.

LECTORES, PRVDENTES, BONI,

ADESTE.

IVDITHAM VINDICEM

NE VT ERVTAM E SACRIS LITERIS ACCIPIVNTO.

VT POESIM HABENTO:

REM PVRAM E BIBLICO FONTE HAVRIVNTO.

CVM FACTVM MIRABILE, MEMORABILE

AD MVSARVM FAVOS AVCTOR TRADVXIT,

HAVD HISTORIÆ SACROSANCTÆ

DEMERE, AVT ADDERE ANIMVM INDVXIT SVVM.

CÆTERVM

FORTVNAM, FATVM, SORTEM


IVXTA CATHOLICAS SANCTIONES INTERPRETANTOR.

VOS VTRVMQVE MONITVM OPPORTVNISSVMVM

ÆQVI, BONI CONSVLVNTO.

AV-

Auctor
IN IVDITHAM SVAM.



Vicumque celsam mente Virtutem colit
Huic diligenda iure IVDITHA *est suo,*
Cui summa Virtus, siuè plectendus foret
Cruentus hostis, siuè placandus Deus.
At quos amamus, diuidat si longiùs
Marisuè, terræuè improba à nobis via,
Horum libenter intuemur æmulis
Mandata signis ora, sensus anxios
Nec non inani fallimus præsentia.
IVDITHA non apparet vsquàm gentium,
Mortalibus videre nec Diuam potes,
Hospes, pupillis, fulgidis Cœli procùl
Versatur astris illa, quà laurum Dei
Accepit altam dextera, & nunquàm aridam.
P*ictura tantæ frontis, & victoriæ*
Hæc est, beato scilicèt si Heroidis
Flagras amore fortis, & formam cupis,
A*mabis hanc, quæ paginis nostris nitet,*
Virtutibus colore quamuis impari
V*ultuq; lactabis imitato lumina.*
Sin oderis (monere te volo) caue;
Feroci amicos ista defendit manu,
Sed truncat hostes; quisquis es contrà, time.



Sin-

Singulorum librorum IVDITHAE Vindicis Breuiaria.


CCIPE, *optime Lector, quam tibi Argumentorum tenuem faculam nostro Poëmati præferendam operæ pretium existimauimus; non quòd in obscurum pergendum sit, sed quià iucundiùs videre deindè, quòd anteà penitùs non ignoraueris.*

Istiusmodi Poëma nostrum in quinque libros distribuimus, ab ouo belliq; incunabulis nequaquàm exorsi sumus, V*num, vniusque Iudithæ factum persecuti fuimus.*

Est in Primo libro Seditio Bethuliensis populi annonæ, aquarumq; inopia laborantis, quò nimirùm hostibus oppidum traderetur. Principum aduersus tumultum conatus, tum vbi nihil profecere, decretum de facienda stato die deditione. Re audita, non sine Cœlestibus monitis de Patria liberanda Iuditha *cogitat, deliberat, statuit,* Proceribus *consilium abeundi significat, rei gerendæ modum silet. Ephræmus ad Senatum Hierosolymam legatur. In Assyrio exercitu turbæ, ac remedia.*

Secundus Iuditham *orantem, comptam, discedentem proponit ob oculos. Concilium apud Inferos; furiarum contentiones, & iurgia; tùm aduersùs* Iuditham *conatus irritos.* Profligatis *ab* Angelo *monstris, atque illuso* Babilonio *præstigiatore, ad Holophernem Hebræa peruenit. Ille amore captus loquentis verba ad suum sensum traducit; indemnem præstat; tentorium, Hesteris historia illustratum in contubernium tradit, cœlestis custodia* Iudithæ *accedit.*

Recensetur Tertio Bethuliæ origo; Nuntijq; ex ea Hierosolymam profectio. Mandata exponuntur; auxilia commentusq; impetrantur. Sacrifisio, cœnaq; peractis, hostium ille Catalogum, ac res gestas ab ortu belli Pontifici rogitanti narrat. Modicis *cohortibus*

hortibus frumentarioq; subsidio præfectus Ionathas; *armisq; donatus, in quibus Assamonæi futuri Principes præfulgebant, nec non vnà* Ephræmus Bethuliam *suppetias ferunt.*

Habet *Quartus legationem Numidarum splendidissimam ad Holophernem; Concilium in Cœlo ad perficiendum opus; ac de Christo oraculum luculentum. Angeli ad euocandum ab Inferis Somnum descensum, eaq; occasione Dauidis Vaticinia de rebus quoq; nostrorum temporum; Epulas Principum præsente Iuditha; Somnum, Cædemq; Imperatoris; Victricis Fœminæ ad suos reditum.*

Res à Quinto absoluitur. Iudithæ intrà oppidum receptio; obtruncati capitis detectio; obsessorum catalogus, & eruptio; Hostium primò conatus, dein comperta cæde Principis metus, fugaque; suppetiarum ab Hierosolymis *in ipsa persecutione aduentus; Varij casus;* Iudæorum *victoria. Lector candide, vtere, & Vale.*

Eadem contractiùs.

IVDITHA *ad Persas statuit descendere primo.*
Comit[illegible]*, itq; Herebo frustrà aduersante secundo.*
Tertius auxilium Solymos rogat, actaq; narrat.
Immanem Quarto IVDITHA *interficit hostem:*
Assyrios Quintus fugientes demetit ense.



D.O.M.

D. O. M.

VIRGINI MATRI

QVÆ VERBI ÆTERNI GLADIO TARTAREVM HOLOPHERNEM
OBTRVNCAVIT

IVDITHAM VINDICEM,

PRÆNVNTIAM EIVSDEM, AC TYPVM
BARTHOLOMÆVS TORTOLETTVS,
QVOD AB INGENTIBVS PERICVLIS IPSIVS PRÆSIDIO EREPTVS
MAXVMIS BENEFICIIS EIVS CLEMENTIA AFFECTVS FVERIT,
VOTI REVS
NON TAM MEMORIS ANIMI TESTIMONIVM,
QVAM CENSVM INGENII DEBITVM, PACTVMQ;
SOLVIT, DICAT, CONSECRAT,
SVPPLEXQ; ORAT, NE COELESTIBVS MVSIS ASSVETA
TERRESTRES NVMEROS DEDIGNETVR.
QVOD VTINAM VALIDVM, MVLTVMQ. SIT
AD EXCITANDAS IN EIVS PRÆCONIA MELIORVM VOCES,
NAM ET PARVA SÆPE SCINTILLA SATIS EST
AD AMPLISSVMVM CONFLANDVM INCENDIVM.
ARÆ SACRO LVXV OPEROSÆ, BASILICÆ COELO ÆMVLÆ
EIDEM A LOCVPLETIBVS ERIGVNTOR;
AB EGESTATE SVPPLICIS
HÆ PARIETINÆ VELVTI NOTÆ
NE CONTEMNVNTOR,
TANTÆ HOMINVM, ANGELORVM, RERVM REGINÆ,
DEI DELICIIS
VTRAMQ. VITAM DOMVM LABORES IPSE SVOS
PERPETVO COMMENDAT,
NEC NON SEMPITERNI NVMINIS VIVVM TEMPLVM
PRONVS ADORAT.










BARTHOLOMAEI TORTOLETTI SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS

IVDITHAE VINDICIS

Liber Primus.



RMA cano, Abrami quorum virtute nepotes
Fœmina ab obſidio ſoluit, cum ſe intulit hoſtes
In medios, ſtrauitq; Ducem, tùm cæde cruenta
Aſsyrium latè cecidere immania caſtra.
Conſtitit imperium Solymorum, & Numinis aræ.
Tu modò, quam Cœlum tantos delegit ad orſus,
Bellatrix, atauos, nec non genus omne ſequentum
Virtute anteuolans, & diæ lumine formæ,
Dùm famam egregij veterem renouare laboris
Aggredior, cœca merſum caligine vatem,
Diua, mone ex alto, & repetenti ſingula pande;

Quandoquidem tenuem, cùm tantùm præterit æui,
Rerum ipsi nunc multarum vix cernimus vmbram,
Et multę sub nocte latent, nec mens valet vltrò
Quærere, & arcanis tacitas reuocare tenebris.
Iam se se Oceano tulerat bis denus ab Indo
Pulsa nocte dies, primaq; in luce rubebat,
Ex quò Bethuliam Galilęæ in finibus oræ
Asyriis vastæ à regnis, & littore rubro
Cingebant alæ, ac dura obsidione premebant.
Afflictam terrere minis crudelibus vrbem
Nullus erat finis; firmati milite colles
Haud fugiunt animo, spretiq; iniuria regis.
Non tamen obsessi, quamuis haud æqua periclo
Gens foret, innumeros nec non lethalis egestas
Perderet, humanæ nec spes opis vlla daretur,
Intereà obliti superum, & virtutis auitæ
Ponebant arma, aut fœda sibi pace cauebant;
Cum Dira, Hebręæ monstrum implacabile genti
Scissa genas, inq; astra vomens conuicia secum
Hæc agitat. Num me tandem, num me ipsa reliqui?
Vsqueadeò nunc lenta moror; vilissimus hostis
Illudatne mihi? nec tela audacia contrà
Profuerit vires Orientis, & arma ciere
Vltima? nam quorsùm populis indicere bellum
Niliacis? quorsùm Cilices, & Caspia regna,
Omnia, quæ dudum nostris operantur in aris,
Subijcere Asyriis, & mœnia sternere ferro?
Ni

Ni quò relliquias inuiſæ denique gentis
Auferrem, ac Solymæ delerem ſemina noxę?
Noſtra ſinus iſtos optarunt hactenùs arma.
Ipſa tamen, quam tota domus damnata veretur,
Formidatq; ſolum, palletq́; afflatus Olympus,
Pulſa pedem referam conuerſis turpiter armis?
Non faciam, ſcelus hùc omne, atq́; hùc omnia fundam
Tartara, me me acuam, meq; in noua tela refingam;
Iamq; adſum, genus obſcœnum, tua viſcera contrà
Te cieo, mortemq; fero. Sic fata colubros
In ſpeciem tenuare comæ, frontiq; colorem
Addere feſtinat, poſita ferrugine diſcunt
Mentiri malę candorem, exuſtaq́; colla,
Nec non exuuias ſuperinduit, oraq́; nuptę
Bethulidis, macie effœtum, ac miſerabile monſtrum,
Semeſumq;ſinu natum gerit, atq; vbi vulgus
Fœmineum ſortem lachrymis deplorat iniquam,
Proripit in medias vltrò ſe, ac talia fatur.

Quid vos ſollicitis incenditis aſtra querelis
Nequicquàm, ſocię? nulla eſt iactura dolori
Æquiparanda meo; puerum, quem pectore toto
Dilexi quondàm, iugulare, ac reddere ventri
Ambuſtum flammis penuria adegit edendi.
Regredere ad primos, fili miſerande, receſſus;
Hæ ſunt ſpes noſtrę, ſic magnus vincitur hoſtis.
Atq́; hæc omnipotens oculis Deus hauriat æquis?

Hic peſtis lachrymis ſermonem abrumpit obortis

Incendens reſides animos, & inertia corda
Spectaclo immani; nunc has, nunc præterit illas
Vipereum inſpirans incautis oſsibus ignem,
Ac tandem in tenues è cœtu euanuit auras.
Tum verò magis, atq; magis crebreſcere queſtus
Incipiunt matrum, & vicina accurrere turba;
Fama malum in maius ſæuis rumoribus auget.
Continuò viru tacta hoc ſubcanduit omnis
Bethulia, exoritur populo trepidante tumultus;
Quandoquidem rebus, quas multi corde premebant,
Motibus vt ſæpe in magnis, auctore reperto
Quiſq; ſuum ſentire malum, & damnare loquendo.
Iamq; venenata quæcumq; atrocia mente
Concipiunt, ſpolia, & plagas, & funera paſsim,
Seu prædura fames turbam populetur egentem,
Siuè ferox hoſtis ſuperatis molibus vrbem
Diripiat, captaſq; facem iaculetur in ædes.
Ipſæ adeò poſtes, & auiti limina tecti
Complexæ matres ſuprema voce ſalutant,
Et quos expectant raptari ad vulnera natos,
Patribus obtendunt, atque oſcula triſtia figunt:
Tantus cuiq; furor tremefacta per oſsa recurſat.
Ergò omnes vnà ſtygijs terroribus acti,
Atq; viri, atq; nurus magno clamore feruntur
Ad proceres, poſci orantes in fœdera Perſas,
Vna ſalus hoſti muros offerre videtur.
Sicut oues, quà fortè procul ſenſere ferocem
Aduen-

Aduentare lupum, qui ſylua egreſſus opaca
Appetit impaſtus ieiuno pabula ventri,
Haud mora, diffugiunt agris, & nota pauentes
Oſtia caularum turbis ſtipantibus arctant.
Non alitèr furijs actum concurrere vulgus
Cernere erat, denſoq; viæ ſe ſe agmine claudunt.
At procerum primi, quà ſe prætoria tollunt,
De belli inter ſe rebus conſulta ferebant.
Mos erat Iſacidum genti, poſtquam arcta leuarunt
Vincula Perſarum reges, duroq; ſoluta
Seruitio in patrias retulit veſtigia terras,
Ardua quà ſolymis hęrebat curia templis,
Cogere concilium, patreſq; à regibus orti
Regnum exercebant luculentum, & iura ferebant.
Ipſe ſacris princeps qui præſidet, aſtraq; placat,
Res ſimul humanas, & munia regis obire
Aſſolet: aſt alij ſubiecta per oppida præſunt,
Quorum conſilium præſtat, ſpectataq; virtus.
Tales Bethuliam Chabris, Charmiſq; regebant
Tempeſtate illa, quos experientia duxit
Longa per euentus, & rerum exercuit vſu.
Micheades verò Ozias dux optimis armis,
Cuiq; adeo afflictis ingens ſolertia rebus,
Militiæ præerat; tunc illi cura tueri
Obſeſſæ muros, & propugnacula rupis.
Protinùs immanis ſtrepitus diuerberat aures
Attonitas facti nouitate, ac pectora turbat;

Nec

Nec mora, prosiliunt claustris, altaq; tuentur
Diluuium è specula, tum facta silentia genti
Primorum iussu, lingua bonus vnus Ananus
Constitit ante omnes senior, dein talibus infit.
Egregij proceres, fortissima pectora, quorum
Nulla dies famam venturis auferet annis,
Ne nostros damnate orsus, populumq; precantem
Suscipite, & si qua est pietas succurrite fessis,
Hęc vos cura manet, quorum pendemus ab ore,
En quibus ad pœnas armis nos postulat hostis
Externus, quantisq; fames grassatur in vrbe
Stragibus, & ciues interno demetit ense;
Vna in pace salus, pacem vos poscimus vnam;
Nam quod iamdudum totius viribus orbis
Obsessi Hebræas tenui res vrbe tuemur
Pro patrijs sacris, pro libertate decora,
Hoc satis, atq; super vos tollit ad ęthera fama,
Ast vbi perfugio vitalis ianua nulli
Panditur, & cladem manifesta in luce videmus,
Quæ laus incerto fuerit confidere bello,
Dum tolli populo incolumi certamina possunt?
Nam quid iam struimus? qua spe duramus in armis?
Nos si Bethuliam suadet defendere dextra
Et generis virtus, & laudum innata cupido,
Qui posse immensas acies auertere pauci
Speremus? pulsaq; locum obsidione tueri?
Finitimos populos fortè, atq; externa vocemus
Auxi-

Auxilia? infenſi nobis, victiuè propinqui
Sunt omnes, quià ne hunc aliqui potuere furorem
Effugere? an quiſquam Numen non regis adorat?
At ſi cunctari, nec rem decernere ferro
Eſt animus, luxu frangi quia poſſe putamus
Aſſyrium longo, quamuis nunc omnia bello
Territet, ac nunquam victis exultet in armis,
Haud ſcio, qua vitam liceat ratione tueri
(Ni ſumus æterni, aut vanas depaſcimur auras)
Intereà, quandò ſupremas horrea fruges
Suppeditant, puroſq; vetat cuſtodia fontes,
Voſq; adeò aſpicitis, quot vitam abrumpere cogat
(Nec tenuiſtis enim lachrymas) penuria rerum,
Immò ne deſint ſcelerum ſpectacula, mater
Iam non inſonti parcit ſæuiſsima nato,
Deficiendum ergò nobis, nobiſq; cadendum
Eſt primis, nos ergò prement, quæ fingimus hoſti.
His adeò ex cauſis vos æquum eſt parcere veſtro
Heroës, populo, veniamq; repoſcere Perſas;
Si libertatem poſitis amittimus armis,
Seruamus vitam, vita eſt pulcherrima rerum.
Flagitat anteactæ hoc vitæ fortaſsè piamen
Conditio, atq; Dei manet alta mente repoſtum
Pollutum fas a patribus, violataq; ſacra.
Nec quod iam grauior ſenio, quod frigida bello
Dextra mihi iaceat, me me hoc ſuadere putandum eſt,
Namq; Deum teſtor cordis ſecreta tuentem

Me

Me nullas horrere vices, ac temnere vitam,
Aut ferrum in mortem, aut penuria pellat edendi;
Sat vixi, tumulo iam debeor; haud mihi vita,
Si qua mihi ſupereſt, melior nil morte ſenecta eſt;
Hos ego ſed nuruum cœtus, hæc pignora culpæ
Conſcia nullius miſeror, quæ barbarus enſis
(Auertant ſuperi) iam iam vitalibus auris
Eximet, aut potus, atq; eſcæ dulcis egeſtas.
Talia fundebat, gemituq; extrema coorto
Suppreſsit verba, & lachrymarum flumine merſit.
Contiuuò timidæ matres, & innutile vulgus
Clamorem excipiunt, geminantq; infanda doloris
Argumenta trucis, tum pectora mollia plangunt.
Et pacem ſibi quiſq; petit. nil flectitur ingens
Heroum virtus, populoq; immota reſiſtit,
Quantus Atlas ventis, aut nubifer Appenninus
Obtendunt firmas rupes, & flamina temnunt.
Scilicet Hebræis animis, & nomine gentis
Indignum Aſſyrio regi ſe dedere victos,
Cum res de ſacris agitur, rituq; paterno;
Ne metuant, ſupereſſe Deum, qui rebus egenis
Subueniat, feſsiſq; animum, vireſq; miniſtret,
Nam cadit in mentem, Ciues, fortaſſe (ferebat
Arbiter Ozias) nos hæc latuiſſe pericla
Iamdudum? latuiſse trucis diſpendia belli?
At non humanis opibus fiducia noſtra
Nititur, aut rerum euentum metimur ab armis;
Cœli-

Cœlicolæ auertant à nostra talia mente;
Maior agit virtus, Deus est, cui fidimus; ille
Proh quanta exibuit generi miracula nostro.
Hunc adeò & vobis sensum, quãquam ægra fathiscant,
Corpora paulisper, socij, pigeatq; laborum,
Esse velim, neq; enim obliti res estis auitas,
Nec compos animi quisquam diffidat Olympo.
Præcipuè cum sit vobis sat cognita gentis
Perfidia Assyriæ, nullique obscura patescant
Flagitia, oppressa & iaceant promissa sub armis.
Propterea pacta quamquam tellure potiti
Pacem promittant, & sacris fœdera firment,
Ecquis erit vestrum, manibus qui speret in illis.
Esse locum fidei? semotusne angulus orbis
Immanis populi periuria nescit, & iras?
Vos adeò ingentes campi, vos oppida testor,
Quæ bigis Aurora recens surgentibus afflat,
Cum vos oblata exciperent, linguaq; fauentes
Tranquilla in speciem sponderent omnia Persæ,
Quot tamen ingressi strages, quot sæua dedere
Funera? casta metum cum tecto in paupere mater
Exuit, & cũcta à bello secura putauit,
Tum primum ærumnis sensit flagrare repertis
Hospitium, viditq; mori sub verbere natos;
Vidit purpureas raptari ad probra puellas,
Dein scelere augeri scelus, & crudelibus armis
Transfigi. quæ commemoret vox ferrea prædis,

Incensasq; domos, euersaq; templa Deorum?
Nos verò, qui vestibulum mucrone corusco
Sepsimus, & cassum duri disclusimus hostem,
Speremus populo incolumi certamina tolli?
Accipite ergo, animis quæ sit sententia nostris,
Nos nullam horremus faciem, nulla ora malorum;
Vt patrias rerum Dominum veneremur ad aras,
Mentibus hæc eadem per cuncta pericula vestris
Hæreat, hæc vestris eadem sit gloria cœptis,
Et sperate Dei præsentia numina voto.
    Nititur his adeo gentem sermonibus Heros
Flectere; pernicies verùm altè in mentibus hæret;
Ac velut ægrescit vulnus, ferrumq; medendo
Cuspidis infixæ strider, quod dextra veneno
Aduersa infecit; sic vis est addita pesti,
Seditioq; auctis compressa referbuit iris.
Mussant attoniti tanto in discrimine patres,
Attolluntq; polo voces, & Numen adorant.
    Flectere, summe Parens, & casus aspice nostros;
Heu quibus absumpti bellis, quo vulnere fracti
Non fuimus miseri? cuius non iussa Tyranni
Pertulimus patria extorres? quæ barbara tellus
Subiacet Auroræ vinclis incognita nostris?
Nunc vix attigimus patriam, sedesq; relictas,
Et tamen hostiles iterum, fera pectora, turmæ
Auectare parant prædas, & perdere gentem.
Si Cœlo inuisi proauita recepimus arua,

Si ritus, & ſacra, tibi quæ debita ſoli,
Dijs facimus, ſaxiſq́; tuos adolemus honores,
Dele adeò, & capita hæc ſub Tartara fulmine mitte;
Sed cui iamdudum ſtultorum de grege Diuum
Delubra erigimus, ſparſoq; cruore litamus
Taurorum? cuius veneramur numina formę?
Tu columen, tu noſtra ſalus; miſerere laborum,
Et cauſam defende tuam; tibi prima minantur
Detrimenta, tuis te trudere ſedibus audent:
Scilicet id ſupereſt, proprijs vt viribus exlex
Arroget Aſſyrius noſtræ diſpendia cladis,
Illudatq; Deo. cœptis immanibus obſta,
Atq; tuæ maneant æterna in ſecula laudes.

Talibus vnanimes onerabant æthera votis;
Nil tamen ad turbas validum, & conuicia vulgi
Sedanda, aut Cerere auxilium, lymphaq; parandum
Extemplò, aut pacem Perſarum ab rege petendum:
Sin renuant, malintq; armis defendere turres,
Vincula ſe omnia rupturos, vrbemq; daturos.
Sic inſtant turbæ, ac magno clamore minantur,
Tantùm dira lues agitat, flammaſq; miniſtrat.
Ergò neq; hortatus Procerum cohibere tumultum,
Nec valet imperium, turbataq; pectora curis
In partes verſant omnes, animumq́; fatigant.
Qualis in immani pelago ſub nocte maligna,
Dum ſtridunt venti, rapiuntq; ad ſydera fluctus,
Ac tonitru ſonat, & rapidis micat ignibus aër,

 Nau-

Nautica terribili pubes iactata procella
Velum aufert Boreæ, atq; insurgit in æquora remis,
Nec satis est, hærent animi, puppisq; soluta,
Ni freta subsidant, demum compage fathiscit.
Haud secus ambiguo Rectores turbine rerum
Iactantur, dum parte alia per vulnera malunt
Oppetere; ac summis caput obiectare periclis,
Quam dare terga Deo, & mandata capessere Regis,
Parte alia miseræ spectaclum detinet vrbis;
Cunctando interius plebem fera vexat Erynnis,
Et gliscit rabies, gemituq; insania mixto.
Hic Deus Oziæ mentem demisit ab alto,
Vt peteret tempus, causasq; ex arte morandi
Necteret, hoc vnum superest, quo flectere possit
Deceptas Herebo mentes, lymphataq; corda.
Accessit procerum paribus sententia votis.
Ausus propterea tacitum celare dolorem
Aggreditur rursum. Si res committere vestras
Persarum fidei stat vobis certa cupido,
Esto, habeant Persæ, reliquos, quicumq; sequantur,
Successus videant Superi: suprema laborum
Haud tentanda tamen studio fortuna videtur
Præcipiti, non flaua seges, non vnda cauernis
Exhausta est penitus; pau is durate diebus.
His adeò, & vosmet veniæ seruate paternæ.
Assensit plebs consilio, placuitq; morari.
Asperaq; immanis tolerare incommoda belli,
Dum

Dum ſuperant fruges, nec copia deſit aquarum.
Idcircò iubet Ozias diſcrimine nullo
Annonam, penituſq; caua tellure latentes
Cenſeri latices; confeſtim tecta miniſtri
Omnia veſtigant, auidaq; indagine luſtrant;
Nec tantùm non rerum Vrbi ſupereſſe repertum eſt,
Quantùm alat afflictas animas, dum ſydera quintus
Deducat veſper, tum, ni ſpes emicet vlla,
Placabunt hoſtem, & victoribus oſtia pandent.
At Pater æthereus, cui rerum æterna poteſtas,
Sydereo è ſolio, populos vnde arduus omnes
Aſpicit, Iſacidum lachrymas, ac triſtia vota
Audijt, & patrio gentem miſeratus amore eſt,
Nec non vindicibus iuſtè ſuccenſus ab iris
Aſſyrij damnauit opus crudele Tyranni,
Infandoſq; orſus eſt execratus Auerni.
Protinùs electam numero vocat Arbiter omni,
Eſt quæ virtutum ſuperis fortiſsima caſtris
Bellatrix, flammæ abſiſtunt, ireq; decoræ
Acribus ex oculis, & bellum in fronte coruſcat.
Præcingit lorica latus, in caſſide criſtę
Aurata volitant, humeriſq; patentibus alæ;
Ipſa quidem pinum ferrata cuſpide quaſſat
Ingentem: auſpicio tantę virtutis in omnem
Quiſq; ferat pectus caſum, mortemq; paciſci
Egregium pro laude putet. cita Numen adorat
Æternum Virtus, tùm ſic Pater ore profatur.
Nata,

Nata, vides iamdudum hominem, cui pinguia paret
Aſſyriæ regna, & ſuperati milite Medi,
Quam tumidus ſceptris exultat, & aſpera miſcet
Bella ſibi fidens; ac terras ſanguine fœdat;
Nos etiam noſtris depellere nititur aris,
Et diuina petit, nulli feritate ſecundus
Iuſſa facit Ductor, Iudęæq; imminet arci;
Ortaq; ſeditio trepidantia mœnia turbat.
Nunc immota manet noſtro ſententia cordi
Vlciſci, & pœnas dextra, minus vnde timendum,
Sumere: Iuditha eſt obleſſa inſignis in vrbe
Fœmina; tu cautè aggredere, & noua ſuffice menti
Conſilia, vt Perſas adeat; fœdum ipſe puellæ
Subijciam dominum, nec caſtra infanda manebunt;
In caput auctoris vertetur crimen Auerni.
Dixerat, excutitur nutu tremefactus Olympus.
Eſt auro è ſolido limen, gemmataq; cęli
Ianua, quà pulſis remeans Aurora tenebris
Ad nos purpureas educit lutea bigas.
Hàc ſimùl ęternæ referens mandata ſalutis
Itq; reditq; frequens ſtellatę exercitus oræ,
Nec non tartareis animas erroribus actas
Auocat exitio, & felicia tollit ad aſtra.
Sic vbi vere nouo gelidę ceſſere pruinæ,
Aëriasq; comas ornatu ſylua recenti
Extulit, & croceos reparant violaria flores,
Protinùs agmen apum (ſi fas mortalia Cœlo
Conferre)

Conferre) ad campos pernicibus aduolat alis,
Et pars egreditur celeri per inane volatu,
Pars redit ad cellas, & inundant alite portæ.
Continuò his illa è foribus volat ocyor Euro,
Quàq; polum liquido flammarum turbine lambit
Aëriæ per summa plagæ circumfluus æther,
Labitur, hinc oras tacitis intersecat alis
Nimborum grauidas, & grandia nubila tranat,
Vnde ignes, ac tela ruunt de mbre trisulca.
Iamq; adeò leuibus plantis obsessa tenebat
Limina, tum legit pennas, tum cognita nulli
Ingreditur thalamum, lecta est vbi foemina facto.
Hæc fuerat Merari, Simeon cui sanguinis auctor,
Filia (Iudithæ nomen dixere parentes)
Diues opum, formaq; nurus supereminet omnes,
Clara pudicitia, & virtutibus aucta decoris.
Illam purpureo vernantem flore iuuentæ
Connubijs genitor primis transmisit habendam
Egregio, & diti agrorum, pecorumq; Manassi,
Nec deerant artes iuueni, spectataq; agendis
Sedulitas rebus, laudisq; accensa cupido.
O' fortunati, ni mox concordia Parcæ
Heu nimiùm propero secuissent stamina ferro;
Namq, sub æstiuo coniux dum segnibus instat
Agricolis, & dona legit cerealia Sole,
Occubuit miser, & miseram sine prole reliquit,
Quæ defraudatos consolaretur amores.

Juditha hinc abdi foribus, nec tempore ab illo
Flectere coniugio mentem, fœdisq; secundis.
Iamq; adeò ternum Sol circumuoluerat annum,
Sola domo luget vacua, connubia cœli
Sola cupit, sanctosq; Dei suspirat amores.
Mos illi intereà parcis ieiunia mensis
Ducere, tum setis, ne membra infesta rebellent,
Textilibus fœto præcingere pectus amictu.
Ancillæ assistunt haud vili è sanguine, quarum
Idem amor, atq; viam cœlo affectare voluptas.
Ergò cùm subijt penetrale interpres Olympi,
Iudithæ fama anteuolans impleuerat aures
Dedendas arces, faciendaq; sacra Tyranno;
Propterea lauit os fletu, passisq; capillis
Effundit vota ad superum mœstissima regem,
Mittat opem, surgat melior sententia genti.
Tempore correpto tum Cœli filia virtus
Diuinam vultu faciem mutauit anili,
Et crebris frontem sulcis industris arauit
Os, habitumq; gerens, qualis procedere nutrix
Abra solet, casta versatur qualis in æde,
Ira subest oculis, pietasq; ac talibus orsa est.
Heu patriam, heu primæ nobis cunabula vitæ,
Dulcia tecta nimis, monumenta antiqua parentum,
Mox diræ absument flammæ, furet æstus ad auras
Horribilis, iam, iamq; vias mucrone tenebunt
Vltore Assyrij, Lethum vndiq; & vndiq; terror;
Nulla

Nulla fides hosti, cui sit prò lege voluntas;
Gaudebit miles gemmis, & virgine rapta
Intactos ante ora patrum populatus honores
Barbarus, atq; auri spe distrahet ossa sepulchris.
Nam quid prętereo? seù quò gtauiora reseruo?
Num diuina virò facimus? num legis auitæ
Interitum patimur, vetitasq; amplectimur aras?
Quin agè, iamdudum nostram sententia mentem
Insperata subit, quam sì, Iuditha, sequaris,
Haud equidem à nobis vereor, quin arma facessant,
Longiùs, & regnum liceat dotale tueri,
Nec dubitem tales animos descendere Cœlo.
Sunt tibi florentes anni, formaq; decori,
Aurea facunda labuntur flumina lingua;
Macte animo, aduersis infer vestigia castris
Freta Deo, atq; caput tantorum immane malorum,
Ductorem aggredere alloquijs; incautiùs illum
Carpet amot, tu dein correptum lumina somno
Audentèr certis nocturna interfice plagis.
Ipsa adero, tecumq; viam, tecum omne subibo
Discrimen, neq; tunc (haud me fiducia fallet)
Percusso viduæ constabunt principe turmæ.
Sic menti pulchrum memorans inspirat amorem.
Illa feros ausus, subitamq; exterrita flammam
Obstupet, atq; animo nutricia verba volutat
Ancipiti, contraq; refert. Quæ te, optima nutrix,
Tot maturam annis, quæ te dementia cepit?

Quis malæ consultæ suggessit talia menti?
Scilicet in medijs manus hęc miserabilis armis
Heröem stygias tantum detrudat ad vndas?
Desine sic fari, non hos lachrymabile tempus
Postulat auctores, nec vulnere vincitur orbis
Fœmineo. Quidni speres (sata semine virtus
Ætherio reddit) generi concedere nostro
Quod gaudet de more Deus? non ne ipsa pererras
Luminibus, nostri quæ patrauere parentes?
Tunc illam tristes oculos attollere iussit
Altiùs, atque nouas adiecit sedula causas,
Quippè duces atauos, sacrasq; ex ordine pugnas
Egregia paries referebat imagine pictus.
Hàc trepidos parta iam libertate vocabat,
Quà siccos aditus vasto dabat æquor hiatu,
Legifer indicio superum securus eundi,
Tendebatq; manum suspensa in pollice virga;
Tempore non alio reseratum immania cœte
Obstupuere salum, detectaq; regna natantum.
At populo Pharao fugienti, Agyptus, & omnis
Ponè minans aderat, cum reddita rursus aquæ vis
Tellurem Pharijs subduxit; amara bibebant
Fata viri, & currus, ac tela trabalia ponto,
Semineces & equi, disiectaq; signa natabant,
Et nigro horrendum fluitabant cœrula tabo.
Parte alia aggressi collectos fœdere reges
Agmina delebant infestis obuia signis
Isacidæ

Isacidæ sedem, promissaq; regna petentes;
Ipse polo Iosue prohibebat pergere Solem;
Paruit, & medio rutilus stetit æthere Titan
Natura mirante moras, & militis ausum.
Ecce autem Gedeon ex agmine deligit omnĩ
Hausta manu forti lambentes flumina paucos
Armans quemq́; tuba, atq; animata lumine testa:
Itur in aduersos, dat concors buccina signum,
Et simùl è ruptis lux circumfunditur ollis:
Territus extemplo Madianæ exercitus oræ
In se se mixtis conuertit pila cateruis.
Verùm finitimos obiecto in pariete Samson
Tela manu haud crispans, nullo circundatus ære
Ponè Philistæos palantes feruidus vrget,
Cunctantes Herebo maxilla damnat aselli.
Tum iuxtà armatũ, & minitantẽ extrema Gigantem,
Exempla aggressus properatæ turbine fundæ
Hebræo puer imperio delectus habendo
Sternebat, proprio victi caput ense cadebat.
Intentis oculis hęc dum Iuditha recenset,
Virgo genus Cœli faculas sub corde tuenti
Admouet, ac flammis animum serpentibus ambit
Iam magis, atq́; magis, tum pectore feruet anhelo.
Nulla nurum tamen interiùs tentauit imago;
Quam Cinæa Iahel prædiuitis vxor Haberi;
Quippè fuga exceptum Sisaram, somnoq, grauatum
Vera videbatur per tempora fortitèr acto.

Figere humi clauo ; ſtat facto vulnere dextra,
Atq; ſuum miratur opus ; contrà agmina Iudæ
Nullus Arabs, nullus tendebat ſigna Sabæus.
Iuditha immotos oculos hanc figit in vnam
Admirans opus artificis, vireſq, colorum,
Fœmina quam validè feriat, quam turpitèr hoſtis
Occubet, ac picta verè ſub morte laboret.
Inuadit pudor æqueuam, & generoſa cupido
Augetur, patriæq; manu ſuccurrere ſuadet.
Haud aliter nondum prædis aſſueta leæna,
Cui primæ exiliunt iræ, necdum vbera liquit,
Si quando ad nidum cæſo remeare iuuenco,
Deuius errabat qui luco fortè, gemellam
Reſpiciat catulam, ſpontè implacabilis ardet,
Æmulaq; & magnis meditatur funera tauris.
Tum ſecum. Quæ me ancipitem ſententia verſat?
Quæ flamma attonitas eſt importuna medullas?
Me ne Deus ſtimulat? ſeu mens ſua quemq; fatigat?
O'felix nurus ante alias, quæ tempora tanti
Principis obtriuit, clauoq; afflixit acuto,
Non illa expauit ſexu, tingiuè cruore
Horruit; at tu ſi facinus mirabile dictas,
Omnipotens, adſiſq; Pater, neq; dira verebor
Tela, nec Aſſyriæ poterunt prohibere phalanges.
Tales illa ſuo mittebat pectore voces;
Tum, quoniam in tenues virtus euaſerat auras,
Reſpicit, atq; Abram reuocat, dein lenibus ipſam
Incre-

Increpat alloquijs. cur me ſermone relinquis
In medio, nutrix, dum tantos voluimus auſus.
Abra ſtupet iam vera, negat ſe ſe ore locutam,
Nec pridem arcanos dominæ tetigiſſe receſſus,
Teſtaturq; polos, & non violabile Numen.
Proindè ferat, quid fortè noui, quæ monſtra fatigent.
Iuditha attonito rem tantam corde volutat,
Et venit in mentem voces, quas credidit Abræ,
(Conſilium non tale hominum) diuinitùs eſſe.
Tum vero, ſed mater, ait, namq; vbere ab iſto
Vitales hauſi latices, & parua pependi,
Quæ rogo, quę vultu fuit illa, & vocibus Abra,
Horrendum quæ ſuaſit opus, ſpecieq; fefellit?
Nam cum Cœlicolas iuſto labefacta dolore
Orarem, ne qua Aſſyrijs ante omnia ab armis
Ad nos deueniat legum iactura ſacrarum,
Tum ſtetit ante oculos ſimulachrum, humanaq; forma,
Quæ te luminibus, greſſuq; referret anili,
Tota Abra, auderet tantum ſi verior Abra,
Et me (nec vanis ludebant ſomnia monſtris)
Aggreditur, ſuadetq; vrgens, ſtimulatq; pauentem,
Auxilio vt rebus ſubeam, & ſecura per hoſtes
Egregium, Eois iuuenem qui præſidet armis,
Conueniam, & ſtratis iugulem ſub nocte profunda:
Quodq; magis vereare, mihi, dum talia fatur,
Neſcio quid mentem ambiguam, & præcordia ſubter
Inceſſit magnum, ſtimuliſq; ardentibus egit,

Abra (fatebor enim) tales in pectore motus
Nunquam, nec similes sensi consurgere flammas.
Id quicquid fuerit, non Orci à limine diri
Esse dolum credam, neq; talia signa ferebat,
Sed Deus aut ille est, aut non iniussus ab illo;
Tanta vi inuasit nouus, & mentem impulit ardor.
Quinetiam paribus stimulis pictura Iahelis
Exciuit, primisq; nouos superaddidit ignes.
Quid faciam, incerta pendet sententia mente:
Magna quidem res, pulchra tamen tentare salutem;
Si pereo, iactura leuis perijsse puellam.
Miratur longæua ausus exterrita tantos:
Continuò gelida torpet formidine sanguis,
Insurguntq; horrore comæ, dein semita postquàm
Materno tandem paulùm laxata dolori est,
Soluitur in flumen lachrymarum, ac nescia ferre
Inuehitur. Quæ dira animo sententia surgit?
Quis te dementem vexat furor? heu mihi quondam
Et domina, & nata, & miseræ spes vna senectæ;
Hoc verò de te tandem sperare licebat,
Quò tristis seris in Tartara mitterer annis?
Propterea ad canum veni miserabilis æuum?
Has te ego non paui in furias, neq; talia nostris
Hausisti vberibus, nec sunt immania nobis
Pectora; quid sileo? non Orci à limine diri
Esse dolum credas, neq; talia signa ferebat;
Egregiùm; quasi Tartareæ tibi cuncta patescant
Ten-

Tentamenta domus, atque obiectanda periclis
Sint temerè capita, & decus irreparabile famæ.
Nam quid te fallam? quin hoc me crimine soluam?
Sperasti, dum blanditur tibi flamma iuuentæ,
Sperasti illæsum seruare per arma pudorem
Barbara? sperasti plagas infligere dextra;
Brachiaq; ad durum conuertere mollia Martem?
Assyrij ne colunt adeò, sanctéq; tuentur
Iura pudicitię? quàque horrent ensibus agri,
Vsqueadeò facili ceduntur vulnere Reges?
Scilicet egregiè vsurpas exempla Iahelis,
Quæ malè re gesta profugum, proprijsque receptum
In laribus Sisaram certa sibi morte subegit;
Non tibi cum profugis res est, viget integer hostis,
Omnis & antè fores per somnos excubat orbis.
At non exactæ spondebant tempora vitæ,
Vt sanctas oblita vias te credere velles
Barbarico attactu, & castos fœdare penates.
Iuditha (obtestor Numen, quod ab æthere fortè
Hæc damnatq; oditq;) pios non talia iussa
Extimulant animos, nec Cœli est dira cupido;
Consilia in melius refer, hoc rem limite siste,
Atq; huius miserere sinus, qui (gratia facto
Si qua subest) fouit teneram, primosq; liquores
Qua parte exhibuit, mansurum hac hausit amorem;
Tute huius miserere, istum qui ferre dolorem
Nec timuit, neq; iam poterit, miserere iuuentę
Istiùs

Istiùs, & partæ vita reminiſcere laudis.
Vix ea dicta dedit, fletuq; vndabat anili
Vultus, & ingenti gemitu penetrale ſonabat.
At Iuditha licet queſtu labefacta doloris
Nonnihil exhaurit, lachrymis nec parcit obortis,
Non tamen ardentes animo depellere curas
Eſt potis, aut Cœli ſtimulos arcere prementis.
Porrò dum trepidant ambæ, paulùmq; morantur,
Ecce inſperatum ſubita formidine monſtrum,
Lux noua per ſudum manifeſto lumine fulget,
Virtus, quæ nupèr Iuditham accendit ad arma,
Scilicet auratas liquido quatit aëre pennas.
Continuò conuerſi animi, & mutata voluntas
Abrę, nec ſuperos pariter non concipit ignes.
Quales fatidici quondam ſueuere prophetæ,
Pectora plena Deo, ſancto ſtimulante furore
Præſeferre hominum quicquam diuinius ore.
Non ſecus Abra furens animi, concuſſaq; pectus
Vi ſuperum, ſequere, ò, clamat, ſequere, inclyta virtus
Quò te cumq, vocat, Deus eſt, Deus ille, ſalutem
Qui parat, & regum illudit victricibus armis;
Parce, Pater, ſine te non fas comprendere mente,
Qui tantos auſus moliri fœmina poſsit.
Nunc victas do, nata, manus, nunc caſibus vllis
Haud piget obiectare caput, deſcendere tecum
Si licet, atq; animam ſalua prò lege paciſci.
Sic ait, & magnum Dominæ confirmat amorem;

Quæ nec ſe capit, aut vires metitur, & alto
Præſumit palmamq; animo, factumq; futurum.
Te ſequor, exclamat, Pater, ac tua iuſſa capeſſo;
Tu modò cum tanti dictas exordia facti,
Ne fortunatum famulæ bonus abnue finem,
Et miſerere animi ſe ſe maiora ferentis.
At tu chara parens (etenim conſultiùs vlli
Fidere non poſſum, neq; fas arcana recentis
Conſilij plures vulgare, ac ſpargere in aures)
Quandoquidem accedit tua nunc mihi certa voluntas
Adfore te ad Perſas ſub velo noctis eunti,
Accipe, quæ peragenda tibi: Velamina longa
Iam deſueta die vitæ monumenta prioris,
Picta auro, dudum loculis ſeruata vetuſtis
Deprome, & Cererem condenſa in fruſta coactam,
Tellurisq; rudes fructus, agreſtia dona,
Inſtrue; quod reliquum eſt, in tempore deinde iubebo,
Tu modò rumpe moras. Sic fatur, & ardua cœpta
Perſequitur, ſeraq; parat decedere nocte:
Propterea mandat Proceres in tecta vocari
Extemplò ſua, ne noceat mora fortibus orſis,
Orans, & cauſas tam læuo in turbine nectens,
Cur veniant, pretiumq; viæ ſperare ſalutem;
Iamq; aderant illi ancipites, limenq; tenebant,
Tum ſic porticibus ſuſceptos Iſacis amplis
Alloquitur, micat ore pudor, generoſaq; virtus.
Quæ vos ſeditio, populiq; inſtabilis ira

Turbauit Patres, atq; in discrimen adegit,
Illiùs & nostros penetrauit fama penates,
Neç fas est tantum me dissimulare dolorem,
Cui (fateor) iamdudum impar virtute fathisco,
Præcipuè nostras animas, & mœnia nostra
Cum venit in mentem populo tradenda profano,
Qui sacras veri delebit Numinis aras.
Hinc vos acciri iussi (quod fortè videri
Possit ab ancilla cœtu cum principe factum
Audactèr, sed nescit amor parere pudori)
Præsentesq; colo supplex, oroq; salutem.
Quid facimus miseri? qui nos agit improbus error?
His ergò superum domibus dominabitur hostis
Impius? & sacros homini soluemus honores?
Si ferrum horremus, præstant Cœlestia tela.
Nam velut incassùm nemo confidit Olympo,
Sic hunc deserere, aut certis includere metis
Ipsius irarum fluctus impunè fuisse
Compertum est nulli. Vos omnia discite ab vno.
Supplicia, & missos Arabum de saltibus hydros
In desertores, infidaq; pectora patrum
Mente recensete; auxilium vitale dolori
Anguineo supplex populus quæsiuit ab ære.
Si spes nulla supèr, si torquet inania tela
Arbiter ex alto, mortaliaq; extimet arma,
Esto, cedamus, pacemq; (ò flebile semper
Consilium) belli deserta sorte petamus:

Sin res integræ nobis, nulloq; tenemur
Vulnere, sin totum conuertere conditor Orbem
Obtutu valet in cineres, cur limine in ipso
Deficimus? saluiq; manum cur tendimus hosti?
Nam quòd pro segete exhausta, riuisq; laborant,
An desunt exempla domi? lachrymæq; recentes
Munera delerunt memori de mente vetusta?
Non id consilij à vobis procedere, Patres,
Sat mihi compertum est, celso deuota Tonanti
Pectora iampridem, laudisq; cupidine capta
Agnosco, sed vulgus (iners, & inutile pondus)
Conciuit turbas, tenuem nam vulgus ob escam
Omnia missa facit diuina, humanaq; iura,
Nec mala perpetuis metitur parua coronis.
Immò nec facilis matrem mihi suadeat auctor
Demisisse neci puerum, quem gesserit aluo,
Ac tristes epulo mensas foedasse nefando;
Quod si quæratur solerti indagine tanti
Foemina flagitij compos, fortasse patebit
Monstra fuisse, quibus mortales territat Orcus.
Ergò adeò indigna, Proceres, absistite pace,
Neu sinite hùc populum, vestro qui pendet ab ore,
Se dare præcipitem; non perdere nos Pater orbis
Cogitat, ast æqui donec reuocemus amorem,
Terga quatit patrio iamdudum oblita flagello.
Nec mihi spes animum malè suada enutrit inanem,
Nam lapidum cultu maiorum exempla secuti

Non ſumus; hinc illi totiès commiſſa luerunt,
Et Iudas abijt varias captiuus in oras,
Heu quam multa ferens; tibi nos ſacra debita ſoli,
Summe Pater, facimus, tu ſpes, tu noſtra voluptas.
Hæc vbi fata, ſolo vultus Iuditha decoros
Deiecit: ſtupuere viri, pudor inficit ora:
Tum contrà Ozias referens; Te digna, tuiſq;
Iuditha, eximijs memoras virtutibus, inquit,
Verùm nos etiam duræ ſuccumbere morti
Poſſumus, & ſi res adeò depoſcat, amamus:
Quod ſi decretum eſt tradendas hoſtibus arces,
Cum iam concluſos omnis defecerit eſca,
Tunc vbi nec flecti potuit violentia vulgi,
Nec noſtræ valuere preces, placanda fuere
Pectora pollicitis, compeſcendiq; tumultus;
Tempore quò mentem in melius mutare valeret
Plebs ægra, & Cœlo auderet ſperare ſalutem.
Vos ſuperi, & ſuperum te Rex ſanctiſsime, teſtor
Haud poſuiſſe fidem, & ſupplex tua munera poſco.
Tuq; adeò precibus ne flectere parce Tonantem,
Sancta nurus. ſubit illa. Precum vis nulla mearum eſt;
Ne tamèn ambigua trepident formidine mentes,
Neſcio quid iamdudum animus, nec inutile verſat;
Si liceat, ſi certa mihi ſit veſtra voluntas,
Sola per noctem famula comitante fideli
In caſtra abſcedam, cœloq; auctore ſalutem
Aggrediar, nullo ſuperis diſcrimine habetur,

Vrbes,

Vrbes, & populos ſeu vir, ſeu fœmina ſeruet;
Nec mihi vel dubijs fulſerunt ſydera ſignis.
Omnis in anguſtis iacienda eſt alea rebus.
Vos ergò excubijs mandata hæc mittite veſtris,
Recludant portas, ne cætera quærite, tantùm
Cœlicolæ vt faueant humili contendite voto;
Nondum (ſpero equidem) ſexto nos ſole renato
Bethuliæ in ſalua reduces ſpectabitis arce.

Hic verò augetur ſtupor, expleriq; tuendo
Auſis attoniti tantis, & voce puellæ
Haud poſſunt, ſeniorq; oculos attollit, & ambas
Charmis ad aſtra manus, taleſq; dat ore loquelas.

Magne Pater, cuius noſtra eſt ſub numine tellus,
Et genus omne atauùm, dilecti ſemen Abrami,
Inuiſi nondum penitus tibi ducimus annos,
Nec delere paras, cum tanta in pectore virtus
Fœmineo, noſco veteris veſtigia curæ.
Si tales animos nobis Iudæa tuliſſet
Terra virùm, Aſſyrij nunc flerent agmina Regis.

Hæc dicens lachrymis perfundit mollibus ora.
Tum pius Ozias. Dabitur, Iuditha, quod optas,
Nulla poſſet claudi virtuti ianua tantæ.
Sed quid pro tali facto, & tam fortibus auſis
Obtulerim merita? Deus ipſi præmia primus
Perſoluet, non officio, non munere deerit
Arbiter Eliachim, celebriq́, augebit honore,
Nec deſolati non ſeruatricis Iudæ

Ipſe

Ipſe colam obſequio nomen ſublime perenni
Nunc adſit Pater Omnipotens, ac vota ſecundet.
Nec plura effatus portas, atq; alta reuiſit
Mœnia, ſubuoluens animo; quis nuntius arces
Euolet ad Solymas, atq; his compellat amicos.
O vtinam nunc ſe incolumis, plagaq; leuatus
Redderet Ephræmus, certè ſollertiùs hoſtem
Fallere, nec poſſet patres accedere quiſquam
Incertos animi, rerumq; euenta timentes.
Callidus à tenera præ cunctis iſte iuuenta:
Cui Ruben generis princeps, & ſanguinis auctor,
Diuerſas adijt gentes, diuerſaq; regna,
Atq; vſus hominum didicit, moremq; loquendi.
Illum ſeù Tyrij ciuem, ſeù Parthus alumnum
Crediderint, habitum ſimulat, varia induit arma,
Omnia veſtigat, memoriq; in mente recondit.
Sic procùl Aſſyrias acies ignotus adiuit,
Agnouitq; viros, numerumq; excepit equorum.
Sed dum ſe nuper populis obiecit Eois,
Et conſanguineum præceſſit feruidus agmen,
Saucius exhauſit telum, coſtaſq; per ipſas
Exijt infeſto fluidus de vulnere ſanguis,
Verum dum trepidat, mortiq; propinquior hæret,
Cœlicolas oraſſe ferunt, ac vota dediſſe,
Tum ſubitò (mirum dictu) gelida oſſa calore
Afflantur, plagæq; altum ſenſere leuamen.
Ergò improuiſum ſeſe inſperantibus offert

Incer-

(Incertum, ſeu fama rei pulſauerit aures,
Siuè Dei miſſus monitu, curaq; parentis)
Atq́; ait. Ephræmum ne quis vereatur ademptum,
Ecce adſum dono Superum, ſolidæq: iuuenta
Antiqua, & primo conſiſtunt robore vires.
Dicite, quid vobis ſit curæ, ego iuſſa capeſſo,
Si ſit opus, medios penetrabo interritus hoſtes.
Obſtupuit chari aſpectu manus omnis amici.
Vt natum abſentem longo quem tempore mater
Crediderat vita caſſum, vacuoq́; ſepulchro
Dona dabat, mœſta manes & voce vocabat
Cum lachrymis, ſi quà redeuntem fortè tuetur,
Illa quidem nequit expleri, exultatq; videndo,
Nec ſibi ſat credit, colloq; immobilis hæret.
Haud ſecùs Ephræmum tanto in diſcrimine gaudent
Accipere incolumem, dextræq; adiungere dextram.
At pius Ozias placidè complexus amicum,
O quantis cumulat nos indulgentia cœli
Muneribus, ciues, inquit, deponite curas,
Non adeò immani certa eſt victoria Perſæ.
At tu ſpes rerum noſtrarum haud vltima, quandò
Opportunus ades, nec te obiectare periclis
Formidas, peragenda audi, & rem pectore conde.
Quò res ducta loco, quantis iactemur ab vndis,
Ipſe vides, fratrumq́; vicem miſeraris acerbam;
Ergò agè, perge celer Solymam patribuſque reclude,
Quàm nos dura premat dudùm penuria rerum,

Nec plebem ærumnis ęgram ſatis eſſe ferendo;
Propterea, ſuperi faciles ni vota ſecundent,
Decretum eſt hoſtes quinta iam luce peracta,
Mœnibus accipere, & rerum dimittere habenas;
Nec quodcumq; agitat Iuditha, Ephræme, ſilendum eſt;
Illa quidem Aſſyrium ad cuneos accedere noctu
Apparat, & lapſis fidit ſuccurrere rebus;
Quid ſtruat, ignotum, ſpes hinc, metus inde; videndum,
Frumentiſne leuare queant, atq; addere vires.
Per caput oro tuum, per magnum Numen Olympi,
Eſto tui ſimilis, commiſſaq; perfice iuſſa,
Hàc nobis ſtat fortè ſalus, nec parua feretur
Fama tua, aut deerunt virtuti præmia tantæ;
Sed tibi diuitias reduci, & rem ritè gerenti
Spondeo, nec tenues belliq; & pacis honores.
Tù verò ne carpe viam ſub luce diei
Haud fida, neu murorum de limine cede,
Donec tuta minùs ſubducat lumina veſper:
Nec mora longa, cadens iam iam petit Oceanum Sol.
Talibus Ozias, contra ſic deinde profatur
Ephræmus. Non diuitias, nomenq; requiro,
Nec dedit Omnipotens tales mihi ſurgere curas,
Sed me dulcis amor patriæ, iacturaq; legis
Sollicitat, ſatis officio me parcere nulli
Propterea, tantumq; meæ ſatis addere famæ.
Nunc tua me ad iuſſa, Iſacidum Dux optime, verto:
Quos animos, pectuſq; mihi formidinis expers,
Inge-

Ingeniumq; dedit cœli, terræq, repertor,
Me velùt in vestris æquum est adhibere periclis,
Sic nunc conabor sceleratam eludere gentem.
Ibo, patres Solymos discrimina nostra docebo.
Vidisti, occiduos quà soles inter, & austrum
Scindunt se cautes, angustaq; semita lymphis
Pandit iter, saxo pluuius cum voluitur amnis?
Illa humilis, syluaq; supèr defensa virenti
Insinuat se se, atq; ambagibus exit iniquis,
Assyrio fallendo habilis, vix cognita nostris.
Illos per flexus, atq; horrificas conualles
Ipse viam inueniam Solymorum ad mœnia, coecis
Nec mihi opus tenebris, tantùm Deus adsit amicus;
Haud patitur res nostra moram. nec plura locutus
Assyrios habitus, hostiliaq; induit arma;
Continuò volat ad portas, neq; segnior exit,
Quam leuis ex arcu teretis fugit ala sagittæ.
Illo fortè dabat iuuenem decedere tutum
Tempore, dum castris amens noua tentat Erynnis,
Nam circumuentam terreret vt acrius Vrbem,
Deditioq; foret commotis certior armis,
Isacidas postquam turbauit, in agmina regis
Irruerat, dirumq; animis afflarat amorem,
Poscant vt pugnam, vacuiq; sedere recusent.
Nec mora, succensæ mentes, fremit arma iuuentus;
Ac leue principiò varia statione locorum
Exoritur murmur, dein totis agmina castris

Incuſare moras turpes, & inertia ferri
Ocia. non aliter quando ſe nubibus atris
Inuoluit coelum, iamq; horridus imminet imber,
Principiò raris vix læſo puluere guttis
Spargit humum, poſt ingentem magno impete nimbus
Soluitur in pluuiam, micat ignis, & intonat ęther.
Quis pudor? Aſſyrios abdi munimine valli
Obſeſſæ in ſpeciem gentis, nec vellere turres?
Egregium certè, ceù ferro cernere Perſæ
Formident, inimica fame premere oppida turpi.
Quantum hoſti reliquo cauſæ, ac melioribus armis
Temnendi Aſſyrios, ægræ ſi moenibus Vrbis
Abſtineant inferre manum, pugnaq; ciere
Inualidum, & cunctis hoſtem iam rebus egentem;
Non ſi clauſtra forent ſolido ex adamante, manere
Aduerſum ſe poſſe, quibus mortale reſiſtit
Iam nihil; in manibus laudem, obſidionis honorem
Nullum; ſed longo imperio de more ſuperbos
Militiæ gaudere Duces, id crimen obeſſe.
Talia iactantes vallum clamore replebant,
Cuſtodesq; ipſi coëunt ſtatione relicta
Ad primos, totis concurritur vndiq; caſtris.
Intereà Ephræmus, prærupto ex aggere nulli
Obſeruatus abit, volucerq; elabitur hoſtes;
Mentitę veſtes, regioq; occulta viarum
Adiuuat, atq; noua iactata libidine pubes.
Protinùs Aſſyrij volitat Ductoris ad aures.

Fama

Fama loquax, motasq; acies, turbataq; defert
Agmina, nec dubijs succendit pectora dictis.
Hunc inter primos aulæ spectata locarat
Nobilitas, & opes, & auorum ingentia facta
Abdarus ante alios genitor, qui signa secutus
Regia sub teneris natum fortissimus annis
Duxit in Europam, bellisq; immisit Achiuis:
Hìc puero puerum cognoscere contigit Ocho
Nomine Holofernem, paribusq; incedere curis:
Vt regnum accepit iuuenis, belli arte potentem,
Sæuitiaq; sibi similem respexit, & illum
Extulit, atq; vnum castris præfecit Eois
Donatum Armeniæ regno, & regionibus amplis.
Ergò ille in medios oculis se ardentibus infert
Impauidum, tutamq; ausos turbare quietem,
Increpitat dictis, & vultu terret acerbo.
Quæ nouitas? quę dira scelus væcordia dictat?
Imperiumnè datum vobis, pugnæq; iubere
Tempora? nempe Ducis nos nil, nisi nomen habemus?
Fortè piget sine vulneribus, sine sanguine fuso
Vincere? nunc vestro tanta est in pectore virtus?
Quod si feruet amor quatere vrbem, & pandere muri
Limina, quò pecudes nequeant, vos fiditis ire?
Ac dextra, & vestris adeò diuellere turres
Posse minis? soluent pœnas temeraria, soluent
Ingenia: auctores, famuli, compescite vinclis:
Talia dicta dedit, gelidumq; per ossa timorem

Sontibus iniecit, cum se improuisa furenti
Consilijs innixa nouis infudit Erynnis
Ocia causata Assyriùm, atq; incommoda molli
Ventura ex requie, rebus ni tuta salutem
Sedulitas ferat, & coepti solertia belli;
Propterea Abdarides quæsito sponte colore
Indulget turbæ genio, & quà posse videtur
Ad muros reperire aditum de robore mandat
Ingentes geminas attolli ad sydera turres.
Inspectę cladem laturas desuper vrbi,
Ac sterni tumulos, impleriq; aggere fossas
Imperat, inq; viam loca molibus apta parari.
Sylua fuit procùl à castris, & limine valli,
Quantùm quis spatij denis percurreret horis,
Quandoquidem eruerat solers nemora ardua circùm
Principiò manus indigenum, & præuenerat hostem,
Ingens antiqua, & condensis horrida ramis,
Sæuis apta feris domus, occultoq; volucrum
Secessu, cum prolis amor dat condere nidos.
Itur in hanc; tum multiplici percussa bipenni
Dura cadit quercus, atq; æmula montibus ornus,
Auiaq; ingenti nemoris panduntur hiatu;
Indoluere ferę, gemitumq; dedere volucres.
Arboribus quod dum pubes delecta secandis
Præstat, diuersi saturandis vallibus instant
Tercentum, glebasq; ferunt, rupesq; refringunt.
Præest operi Dux ipse noui pars magna laboris,
Thre-

Threijcius quem portat equus pernicior Euro,
Donèc ſera dies ſubducta luce recedit.







II
Nicolaus de la Fage in.
Val: Regnarti⁹ sculp.

IVDITHAE VINDICIS

Liber Secundus.



T noua Iudithæ nullam ſub pectore cura
Permittit requiem, nec venis flamma recedit:
Propterea in tacito, cui dudum aſſueta, ſacello
Lænam de villis humero circumdat acutis;
Ille quidem teneræ nimiùm crudelis amictus,
Sed domuit pietas, & longo lenijt vſu;
Nec non flauentem ſparſo foedata capillum
Puluere, nec lachrymis oculos non fuſa rubentes
Poplite humum ferijt duplicato, ac vota profudit.
Conditor omnipotens mundi, cui noſtra Sabæo
Thure calent adyta, & celſis cadit hoſtia templis,
Si non Hebræos omnes exoſus ad vnum es,
Neù prorsùm Abrami ſobolem delere paraſti,
Reſpice nos, quaſſasq; adeò ne abſiſte tueri
Relliquias duri exilij, & Babylonis iniquæ.
Auſpice te Simeon, noſtrę quæ ſtirpis origo,
Erepta pulchræ pro virginitate ſororis
Barbaricas abolens maculas, & dedecus vltus
Ingenti quondàm raptorem vulnere regem,
Ac ſontem ſtygio populum demiſit Auerno.

Ne,

Ne, precor, imparibus votis hoc, Arbiter, ęui
Transſeat, & noſtro Aſſyrius de vulnere ſanguis
Excidat, & noſtris prædo ſternatur ab armis;
Sunt ſatis, atq; ſupèr cauſæ, cur vertice poenas
Det ferus, hac nulla eſt meliùs data victima Diti.
Nàm quid nota feram? vocesuè, aut crimina fando
Enumerem, quę tute oculis, tute auribus hauris?
Cum ſe pollicitus calamis immanis acutis
(Aduerſæ potiùs contingant talia turbæ)
Aut noſtros terebrare ſinus, aut vrere flamma.
In te quinetiam verſis conuicia linguis
Impia coniectans, auſusq; laceſſere bello
Deiecturum armis Templi conuexa minatur,
Templi iampridèm toti venerabilis orbi
(Heu nimię luctus cauſæ) ac noua iura ſacrorum,
Mortalesq; Deos ſtatuit te ponere pulſo.
Scilicèt ille opibus fidit, lateq; patenti
Telorum ſegete, ac fruſtrà putat ignea nimbis
Fulmina torqueri, nec tangere poſse tyrannos.
Ne Pater, hęc tu diſsimula, cape ſanguine poenas,
Sacrilegiq; Ducis domitos mihi ſterne furores;
Nam ſi lenta manus, tenuiq; aſſueta Mineruæ
Exuuias tanto celebres ex hoſte reportet,
Quis violare tuas ſeclis venientibus aras
Audeat, atq; Deo ſceleratum indicere bellum?
Sed quid ego (infelix) tanto non æqua periclo
In ferrum, cædemq; feror? quò me mea cogit
Amen-

Amentem, ſeù ſit pietas, ſeù dira cupido?
Vis tamèn humana præſtantior ignibus vrget
Inſolitis, ſenſimq; agitat, raptatq; morantem;
Fors facis audacem me tu, fibriſq; timorem
Eripis, & tantos haud fruſtrà mittis in auſus,
Præ ſe hoc fert ingens, mea qui præcordia dudùm
Inuaſit vigor, & calefacta per oſſa recurſat;
Parce Pater, non ſpontè ruo. ſpargebat ad altum
Illa Polum tales ex imo pectore voces;
Funditur intereà tacitè per viſcera Numen
Omnipotens, additq; animos, vireſq; miniſtrat.
Nox erat, & requies animalia feſſa fouebat
Implacidas mulcens facili dulcedine curas.
At non exardens animi Iuditha ſoporem
Accipit, aut tenebras admittunt lumina molles.
Extemplò ancillas è ſtratis ſurgere mandat,
Et quæ de niueo cælari balnea ſaxo
Curarat tecti ſecreta in parte Manaſſes,
Impleri lymphis, & flamma feruere iuſſit.
Ipſa nigra humeris gaudet diuellere veſtes
Infandi ſpolium luctus, villoſaq; texta
Exuit, & fluuio properat ſe tingere puro.
Addit ſe ſociam, & pulchro ſubit Abra labori.
Quis verò eximiam ſpeciem, nullo obice quando
Vel niuibus fulſit, vel lacti concolor albo,
Explicet? ac dignis formam ſermonibus æquet?
Hìc Paphus, hìc Amathus, hìc Cypri roſcida regna,

Hæc Venus, hìc melius casti fulsere colores,
Hoc Amor in gremio cunabula malit eburno.
Illa solo interea vultus auersa rubentes
Demittit, nudamq; pudet se in luce videri.
Agglomerant famulæ circùm, roremq; tepentem
Marmoreo infundunt labro, & dant flumina membris.
Sicut post longos si quandò luteus imbres
Impleuit liquidam puro Sol lumine nubem,
Illa nouo latè rutilans ditescit honore.
Sic circumfuso lucem superadidit amni
Aurea de roseo procedens corpore virtus.
At postquam tepida pectus sat fouit in vnda
Assyrios myrti digitis delibat odores,
Humentemq; sinum commixto mulcet amomo;
Deinde comam (proùt fortè comę pretiosior imber
Iamdudùm spretus per eburnea colla fluebat)
Colligit in nodos, & fuluo subligat auro.
Arridet Pater Omnipotens, ac lumine donat
Ætherio, & dios oculis adspirat honores.
Protinùs auratos lateri circumdat amictus,
Purpureamq; super pallam, quam virgine dextra
Ipsa sibi neuit thalamo desponsa iugali;
Ac molles circùm bacchas, ramosaq; vitis
Brachia pinxit acu, & discreuit desupèr auro;
Inter quæ laqueis, tamquam præsaga futuri,
Pampineis passim deuinctos fecerat angues.
Nec manibus teretes gemmas, colloq; monile
Abnuit,

Abnuit, aut niueos plantis negat illa cothurnos
Castè luxurians. Qualis reparabilis ales
Æmulus Auroræ, seù cum deleuit inertes
Relliquias veteris panchæis ignibus æui,
Seù cum mane nouo Solem de more salutat,
Et consanguinei iubaris perfunditur auro.
Talis in egregio Merari sata fulget amictu,
Et dominæ obsequijs blanditur purpura miris.
Et iam transierant magnæ caliginis horæ,
Ac propè tempus erat, quo nigro nox pede cursum
Decolor expleret, bigasq; educeret albas
Aurora, & piceos depelleret æmula currus.
Illa Deo fidens, nec magnis territa cœptis
Egreditur thalamis, & limina tendit ad vrbis.
Se comitem fati Nutrix, laudisuè futuræ
Dilecto agglomerat lateri cerealia secum
Dona ferens, oleæ succos, & roscida mella.
Quas escas ferri idcircò Iuditha iubebat,
Noxia nę Assyriæ gustaret fercula mensæ.
Ancillæ lamenta serunt, lachrymisq; sequuntur,
Et dolor in pulchra formosus imagine fulget.
At verò excubias, Hebrææ robora pubis,
Ducunt muros delecti, & mœnia lustrant
Cunctorum trepidi, somnus procùl, omnis in armis
Ianua, dant lucem crebri de turribus ignes.
Tunc etiam varium, facti quod fama trahebat,
Portam, quæ ad vallum recto fert tramite, vulgus

Occupat, & belli fulgentes ære magiſtri
In primis, incerti animi, caſusq́; futuri.
Continuò Iuditha fores euaſit ad altas.
Hìc autem inſolito ſtupefactus lumine quiſq;
Hæret in obtutu, nec ſe ſe explere videndo
Eſt potis, aſpectu fauor ortus, & aucta cupido.
At pater Ozias miratus, & omnia luſtrans,
Inceſſumq; habitumq́; nurus, vultumq́; micantem;
O quam te celebrem, generis lux inclyta noſtri
(Exclamat) Deus, ipſe Deus tibi talia formæ
Dona, tibi dulces oculis Deus afflat amores.
Macte animo, fidens iſtud fer pectus in hoſtem;
Non ego, non rebus timeam, mortalia quandò
Exuperas, primoq́; adſpirant aſtra labori.
Sic fatus portis geminas emittit apertis;
Et quantum ſpectare poteſt per noctis opacum,
Omnis ſuſpenſo ſequitur plebs anxia viſu,
Aſtraq́; ſollicitis onerat ſublimia votis.
Trames erat flexo montana per ardua cliuo,
Anguſtus, faucesq́; inter ſinuoſus obeſas,
Peruius ille tamen, duras ab origine cautes
Extuderant quippè indigenæ, greſſumq́; leuarant.
Hàc ſe ſe Iſacides ſubluſtri nocte ferebant;
Nec non intereà facto deuota futuro
Bellatrix animis acuebat fortibus iras,
Aut ſuperare parata, aut certæ occumbere morti,
Nec labor, aut teneras offendit ſemita plantas.
Sic

Sic catulus primis venando aſſuetus ab annis
Veſtigare feras, volucriq́; indagine ſaltus
Cingere, cum ſignum vinclis dat turba ſolutis,
Emicat impatiens, nec ſylua territus aſpra
Abſiſtit, donec ſternat fugientia victor
Agmina, detq; noua dominum diteſcere præda.
At non intereà fruſtra ſpectabat Auernus
Talia, nec poſitis torpebat ſegniùs armis.
Tempus erat cum Tartareus Cocytia monſtra
Rex audire ſolet, trepidoſq; expendere caſus,
Namq; dies certos ollis, ac tempora fixit
Principiò, quibus antè ſuam longo ordine ſedem
Omnia conueniant, & facta, infecta recludant,
Innumeris dum corporea ſub nube latentes
Criminibus terrent animas, & verbere crebro
Circumagunt, blandaue adeò ſub imagine fallunt,
Donèc ſuccumbant ſceleri, ſtellataq; claudant
Regna ſibi, regna ſtygiæ inuidioſa ruinæ;
Ille ſuas victo pœnas, ſua præmia cernit
Victori, ſceptroq; cauet, regniſq; futuris,
Oſtenditq; vias omnes, quibus æthera vincant,
Et certis poſſint operis protendere fines.
Eſt ſpecus horrificum, nigrantis ianua Ditis,
Viſceribus penitùs piceis, terraq; ſub ima,
A quibus æternùm Sol exulat aureus oris.
Hoc ſupèr è ſpecula, vt tempeſtas adfuit, ingens
Buccina, & horriſono ſtrepuerunt cornua ſigno
Ob-

Obſcænas acies in regna vocantia tetra.
Mugijt ad ſonitum tellus, gemitumq; dedere
Quadrupedes, caueiſq; metu latuere volucres.
Tum veluti pluuio cum largus ab aëre nimbus
Præcipitat, tortoq; noti ſola turbine perflant,
Torrentes fracta properant de rupe ſonori,
Iratuſq; ſuprà ripas exuberat amnis,
Qui ſegetes, ſyluaſq; trahit, ſonat ora fragore,
Ac vix agreſtes audent ſe credere tectis.
Non ſecùs ad regem crepitantia monſtra ruebant.
Nigranteſq; domos, inamœnaq; clauſtra ſubibant.
At ſenio, turpiq; Charon ſquallore pereſus
Puppe leui ad ripas horrendi fluminis actus
Vadentum fratrum turbam excipiebat inanem,
Vt ferruginea traduceret agmina cimba.
Hìc verò innumeras atra fulgine peſtes
Vndiq; ſuffuſas voci parère timendæ,
Damnatiſq; caput vidiſſes abdere regnis.
Quis fœdis ſimulacra modis horrentia fando
Æquiparet? patienſq; mali, & lachrymabilis oræ
Tartareum vera deſcribat imagine vulgus?
Hæc virgo matura viro laſciua videtur
Pube tenùs, poſt in turpem multo ordine caudæ,
Ni quod ſe pedibus fert vncis, deſinit anguem.
Illius adglomerant ſe triſtia tempora circum
Ora tribus colubri lambentes ignea linguis;
Deq; ſinu pendent patulæ grauè olente papillæ.
Reſpi-

Respicias alium plantis, aluoq; leonem,
Ore referre lupum, commixtaq; semina credas,
Nec monstra Herculeo quondam superata labore
Musarum lusus, æuiq; inuenta putabis
Antiqui; certis hic constat fabula rebus.
Tales tabifico religatus lumina somno
Semifera formas sub imagine concipit æger,
Dum vis atra furit morbi, penitusq; medullis
Funditur exuperans, ac tempora pascitur igni.
At custos aditus, fumantiaq; ostia laxat
Cerberus, ac turbam cognatam admittit amico
Latratu, caudaq, fauens, qua sulphur, & ingens
Excutitur fumus, tripliciq; hiat horridus ore.
Sic tandem ventum est in regia tecta, suisq;
Consedere locis, vbi noctis Rector opacæ
Concilio exceptus medio supereminet omnes,
Mõstrum immane, ferox, quod tetrum exhalat odorem,
Ac trucibus spirat ferales lucibus ignes.

Sunt geminę pestes miseri sub fornice regni,
Quæ cum principiò tellurem, ac cœrula Nerei
Mobilibus pennis circumfluus ambijt aẽr,
Infaustos ortus cœlo duxere sereno,
Astraq; prò blandis habuerunt aurea cunis.
Nam cum pennatas acies, pubemq; decoram
Virtutis specie anteuolans, & lumine formæ
Ille pater scelerum diuinos vellet honores,
Has genuit natas, vi quarum ambiuit amicos

Ilicet

Ilicet, ac bellum turbatis intulit aſtris.
Exin prima mali labes mortalibus orta,
Turpius & nihil eſt Herebo, aut crudelius omni.
Cornigeram ambabus frontem, colubriſq; comantem,
Quorum lethiferum promanat ab ore venenum,
Auctor habere dedit primo mutatus ab illo,
Nec non ærumna cumulauit peſſimus omni.
Flamma vorax, fumoq; eadem ſuffuſca maligno
Cum magno ex oculis animarum horrore coruſcat,
Tota trucis pauitat ſpectando regia Ditis.
Immanes humeros alarum carbaſa velant,
Et centumgeminum ſpiris ſinuoſa volumen
Cauda trahit, diramq; manus quatit horrida tædam;
Hac, & vulnifico mortalia corda flagello
Perq, dies agitant, perq; alta ſilentia noctis,
Nec datur vlla quies, animæ dum labe fathiſcant,
Atq; eiurata à Superis pietate rebellent.
Altera tota tumens bipatenti prominet aluo,
Centenaſq; manus, centenaq; bracchia iactat;
Non aliud priſci exemplar tenuère Gigantes
Auſi ſacrilegis adoriri ſydera telis.
Scilicèt inſana ſtimulante libidine regni
Et tenues ventos, & inanes paſcitur auras.
At ſoror attractis membris, macieq; pereſa
Palleſcit, lachrymiſq; perennibus ægra fathiſcit,
Quippè aliena ſuis deuota doloribus odit
Gaudia, & euentus deflet ſcelerara ſecundos.

Hæc

Hæc colubrùm ſpiris, & ſanguine veſcitur atro,
Ac vix horrendum patiuntur Tartara monſtrum.
His comites ſe ſe agglomerant caligine multę
De ſtygia furiæ, ac longam trahit vtraq; turbam.
Conſtitit ante alias, tum ſic prior illa locuta eſt.

Magne Pater, quem regna polo metuenda verentur,
Anteuolatq́; loco tantùm ſublimior hoſtis,
Maxima res incepta mihi, finiſq; ſequetur
Maximus, & fuſis hoſtilibus vna cateruis,
Quaſcumque Oceani terras complectitur æquor,
Noſtris polliceor dextra hac adiungere rebus.
Verùm agè, non multis molē hanc paulò altiùs omnem
Expediam, ne dicta nega tu mittere in aures.
Is me præ cunctis labor occupat, hoc mihi primum
Sempèr opus (neq; enim rerum iactabo mearum
Nomina, nec ductos numerabo ex hoſte triumphos)
Vt niſi vi rapta fas eſſet ab arce Tyrannum
Deturbare, pater qui non fuit omnibus æquus,
Aſſequerer, terras ſaltèm ne lege teneret,
Nec votis, doniſq; hominum gauderet ad aras,
Aut malè mortalem ſpolijs ditaret Auerni.
Regnat adhùc? regnet, vacuo ſed ſolus Olympo.
Nota loquor, notum qualis contra agmina vindex
Syderea exilij fuerim, cladiſq; vetuſtæ,
Æterni quoties repararim prælia belli
Inuidia pulſi poſtquam, regnòque carentes
Ætheris ſtygiæ colimus confinia ripæ.

 Ipſa

Ipſa quidem Beli ſimulacrum lumine caſſi,
Quod bonus excudi niueo de marmore iuſſit
Filius, afflictę pignus lachrymabile mentis,
Eſſe dedi Numen, populosq; hac labe furentes
Mortali paſſim diuina faceſſere iuſsi.
Nam quisquam locus eſt, vbi non altaria Beli?
Cum verò nondum ſatis hoc, cauſæq; manerent,
Fraudibus adieci violentas inſuper artes,
Supplicijsq; adeò gentes ad ſacra coegi
Infanda. Aſſyrium pepuli ſic deniq; Regem,
Vndiq; collectis vt formidabilis armis
Bella ſerat, ſanctoſq; adytis ſibi vendicet ignes,
Stent cuiuis, modò non ſuperis prædonibus arę.
Iamq; Aſiæ procumbit humi gens, Africa ſupplex,
Aſſyrios orat tellus, pacemq; repoſcit,
Omnis & attonitus gelida formidine mundus,
Sacra viro inſtituit, templisq; imponit honorem.
Gens inimica tibi, primiſq; infenſus ab annis
Sanguis habet Solymam Pharia fugitiuus ab ora;
Hic auſus de more nefas negat omnia regi,
Et cenſum Aſſyrijs, & reddere ſacra recuſat,
Præcluſitq; vias armis, ne qua agmina poſſit
Perſa vocare ferox, & mœnia ſternere flammis.
At quæ vis manibus potis eſt obſiſtere noſtris?
Bethuliam vix aggreſſis obſidere Perſis,
Ille ferox populus terræ contemptor, & Orci
Ceſſit inops animi, poſuitq; immania corda.
Ex-

Extemplò, tantusq; timor, tanta vrget egestas,
Vt benefactorum statuant desciscere Coelo
Multorum immemores, vitæq; cupidine capti.
Ipsa malum vanis etiam terroribus auxi.
Et iam deditio, summam quæ amplectitur omnem,
Imminet, ancipitem, genitor, tandem exue mentem,
Nulla mora est, partes sequitur victoria nostras,
Et debellato fumabunt sanguine campi.
Templorum in summo nostrorum fornice opima
Pendebunt spolia, & generi tracta arma nefando.
Tum verò totus nostro sub iure iacebit
Orbis, & in stygias descendet præda lacunas,
Ipse Gubernator superum contentus Olympo,
Debita, quæ dudum nobis, ditione recedet,
Nec regni vlteriùs fines protendet iniqui.
Promeritos exindè mihi decernere honores
Est, Pater alme, tuum, tua tales exigit artes
Iustitia, immenso veniant vt summa labori
Præmia, quæ finem bello imposuisse perenni
Perpetuos latè populis testentur in annos.
Talia iactantem iamdudum torua tuetur
Dira soror proprij stimulis agitata furoris
Nec simulare potest, aut diræ parcere voci.
Horridus ex oculis micat ignis, & atra dolore
Viperei (infandùm) reuomunt incendia crines.
Nec mora, germanę vix facta silentia foedæ,
Cum ruit in medios implens clamore senatum;
 Impia

Impia perpetuæ tremefacta eſt curia noctis.
Audacine adeò fidis, temeraria, lingua,
Vt neq; præſentes ſocios maiora merentes,
Nec vereare patrem? ſed non ſunt præmia verbis,
Grandia quæ fruſtrà ſpargis, dum dicere nemo
Ante patrem tibi ſedato nimis ore fauentem
Audet, tuturq; tuos reuerentia faſtus.
Eſto, multa tua ſteterit victoria dextra,
Marmoreum Beli ſimulacrum lumine caſſi
Eſſe Deum dederis, Belo diuina faceſſant.
Eſto, Aſiæ procumbat humi gens, Africa ſupplex
Aſſyrios adeat tellus, pacemq; repoſcat,
Attonitus magna trepidet formidine mundus;
Quin rerum geſtarum vnam te fama ſequatur,
Nos reſides animæ tuta ſedeamus in vmbra.
At fruere, at gaude partis, dum te integer hoſtis
Ludificat, ſe ſeq; ſuis agnoſcit in aris.
Hoc verò egregium, ſocij, eſt, hoc nobile factum,
Infecti hæc prudens operis quòd præmia poſcit,
Quis ferat? at Solymi ſua me ſenſere priorem
Regna tamèn quatere, ac firmas conuellere vires.
Mitto, naſcentis prima ſub origine mundi,
Quantum Cœlicolis turbauerit ocia, quantas
Noſtra manus, mouitq; acies, ac prælia ſeuit.
Sed quis ad inuidiam populos conciuit, & vrbes
Finitimas? quæ vis Arabas, & regna Moabi,
Ammonioſq; truces, & opimam armauit Idumen?
Scili-

Scilicèt hinc ciues afflixi, atq; oppida bellis,
Inde aras, legeſq; rui, templiq; vetuſti
Alta diù vetui laquearia ſurgere Cœlo
(Nec longæ ambages, ſerieſq; antiqua dierum)
Ne qua manus poſitis placaret ſydera donis.
Non tamen aut iacto palmas, aut præmia poſco
Geſtis tot rebus. Sed tu miracula nobis,
Diua, refer, tutùmq; ſede, dum fœmina cœptis
Illudens in caſtra ruit. Nondum horrida peſtis
Fecerat vrgendi finem, liteſq; ferendi,
Cum ſoror offenſę impatiens caput aſpera quaſſat
Anguineum, probroq; furit, nec ſe capit, & iam
Atria mugitu terret Cocytia diro,
Nec ſat conſtanti reſponſo turpiter hiſcit.
Iſtanè cunctando valeam demittere in aures?
Iſta pati? ò vbi ſum? quæ me tenet impia tandem
Terra, nec ignauę, ſi qua eſt magis ima, dehiſcit?
Tu nè meas impunè putans, fœdiſſima, voces
Argueris? quid diſſimulo? iam vincis Olympum
(Proh pudor) & nemo ſe ſe tibi laudibus æquat.
Quid ſupereſt? iam ſceptra patris ſublimia poſce.
Sed quid ego? aut quo te furiatam nomine lęſi?
Non aliena peto, tua ſint tibi, maxima victrix
Regnorum, ſatis hæc decori manus apta parando eſt.
Quid laceras? quò me ipſa rapis? ſub Tartara moris
Id nè tali ventoſa noui? num præmia nulli
Quęritis? an cuiquam vetitum ſua poſcere iura?

Me

Me ſolam (obiectas) ſectatur gloria rerum.
An dubitas? quia ne auxilijs, ſegniſſima, veſtris
Indigeo? an quiſquam, noſtri quod muneris, implet?
Sed quid ego? ad quæ me poſthac non vlta reſeruo?
Quid faciant hoſtes, noſtri ſi talia tentant,
Permittitq; Pater? mea me his merita alta, fidesq;
Muneribus cumulant? quid ſi crudelitèr armis
Militię verſis violaſſem fœdera noſtræ?
Non ſat ſupplicij cauſæ conſtare videntur
Improbitas ſontis, natæq; iniuria læſæ,
Nec veritam Patris ora nouos ſeuiſſe labores
Inuidiam, & turbaſſe armis ciuilibus Orcum?
Scilicèt egregiè memorat, quod fœmina coeptis
Illudens in caſtra ruit; ſibi nuntiet iſta,
Si quid agit, metuatq; ſuis conatibus ipſa,
Cui ſola audaci conſtat fiducia lingua,
Non vires, non arma valent: me nulla timoris
Deſidia arguerit, nec mentem ſomnia noſtram
Terrificant. Non illa modum poſitura querelis
Sulphureos fuerat iaculans è naribus ignes,
Germanæq; nefas iam dextra vltrice piaſſet;
Ni genitor vetet, ac dirimendas occupet iras:
Iamq; tonat. Quæ tanta animis inſania veſtris?
An glomerare manum, pugnamq; ciere paratis?
Vſqueadeò veſtra, audaces, de mente refugit
Vis mea? præclarè verò certatis vtræq;,
Cum noua ſydereus molitur damna Tyrannus;
Hunc

Hunc iræ immites, formidatiq; furores,
Armaq; veſtra petant, veſtras in prælia poſcunt
Aſtra manus; illic rebus fama inclyta magnis
Profertur, veſtrumq; illic ſedet & decus, & gens,
Ac repetenda ſuos expectat regia ciues.
Ipſe pater cunctis æquus. tu perfice coepta,
Filia; non incerta tibi tua dona manebunt.
Foemina, quæ veſtris illudere viribus audet,
Sentiat vltorem, quem fors ſperauit amantem.
Propterea ſæuas duc tecum in caſtra ſorores
Ocyus, & poenis adeò ne parce cruentis.
Hęc vbi, compellat reliquos, auditq; viciſſim,
Expenditq; memor, mentemq; per omnia verſat.
Iamq; adeo cunctis reſponſum, miſerat ipſe
Concilium Pater, ac ſolio ſubmotus abibat,
Cum rapidi fluere, & ſua quiſq, ad coepta reuerti.
Quales Æolio laxati cardine venti
Multa vi rumpunt, ſonat Eurus, & omnia turbat;
Tempeſtas nigro terras obnubit amictu.
Viſceribus ſeù cum clauſi telluris opacæ
Exiliunt flatus, trepidant ſola territa motu.
Tales de ſtygia picei ferrugine fratres
Inuaſere diem rurſùs, percuſſa maligno
Palluit aſpectu refugis lux aurea bigis.
Emicat, & ſignum Perſis crudelis Erynnis
Intonat, attonitę reſponſant vndiq; valles,
Tactaq; tabifico latè loca ſulphure fumant.

Tum

Tum verò Iuditha gradum de rupe ferebat.
Senſit iter Dira Iſacidis, ſuſpectaq; vidit
Lumina, & inſolitum picti velamen amictus;
Nec certum eſt animis, quo fœmina pergat ad hoſtes
Conſilio, blandanè Ducem lenire loquela,
Et ſpecie, vt parcat clauſis, vtq; auferat arma,
An malit fraudes ſerere, & premere artibus hoſtem.
His commota ſupèr, ſi qua eſt, occurrere cladi
Apparat, & dubiam manibus præuertere famam.
Fortè ſenex erat in caſtris Babylonius Hormus
Vrſacides Perſas, victriciaq; arma ſecutus,
Egregiamq; Duci patrias effuſus in artes
Impendens operam, ſcelerum fœdiſſimus auctor.
Quandoquidem manes illi parère feruntur
Tartarei, verbisq; accitus triſtibus Orcus
Pergere, nec iuſſus cupido reſponſa negare.
Huius carminibus tellus immota moueri
Viſa fuit, viſæ media ſub luce tenebræ
Offundi Cœlo, deſcendere ab æthere Luna,
Et defuncta modis attolli corpora miris
De tumulo, cogiq; audire, ac reddere voces.
Quinetiam ſacris magicis effoſsa ſepulchris
Oſſa dicans, atroq; inſcribens nomina plumbo
Dijs animas nigri paſſim damnabat Auerni,
Inuictisq; hominum miſerorum attacta venenis
Corpora (proh facinus) crudeli morte necabat.
Dira ſibi hunc ſocium rebus delegit agendis.

Con-

Continuò colubros, ac turpes occulit alas,
Luminibusq; trucem furialibus amouet ignem,
Crispatasq; niues capiti adijcit, insupèr atro
Promissam mento barbam, rugosaq; duri
Induit ora senis, qualis pater Vrsacus olim,
Cumq; soporiferam noctu per membra quietem
Mitteret Vrsacides cura semotus ab omni,
Hunc fœda in somnis Dea patris imagine ludit,
Aggrediturq; virum. Placido indulgesnè sopori,
Iam non nate mihi? nec mentem cura tuarum
Vlla subit rerum? non sic, non hostis inertes
Soluitur in somnos, & facta immania tentat.
Quid prò te tantas operum me impendere curas
Profuit? ac tremulis signantem peruia plantis
Conatus docuisse meos? si rebus in aspris
Debueras strato segnis requiescere molli,
Nec Diuùm saltem supplex responsa rogare?
Quin surge, Abdaridiq; celer narrare memento,
Quæ commissa mihi fatorum arcana fuere;
Ille quidem speret faustos ex ordine rerum
Euentus, victas vrbes, & regna subacta;
Ne tamen Hebræi generis se credat adulter
Scorto, quod blanda iam iam subit ostia forma,
Suppliciumq; adeò scelerato è sanguine sumat,
Haud faustum molitur opus. sic fata iacenti
Implicuit furias coniecta in viscera tæda.
Ille manu nixus complecti, ac iungere dextram

Nequicquam, palmas ſimulacrum eluſit inane,
Eripuitq́; oculis ſe ſe os exuta ſenile
Dira, & natiuis inceſſit pallida monſtris.
At ſenior trepido ſimilis, ſimilisq́; furenti
Excutitur ſomno, & fugientem eſt voce ſecutus.
O' tu quæcumq; es furiarum ab ſede ſororum
Quæ**ve**is, ac tantis agitas præcordia flammis
(Nam neq́; te ſanctos manes, vmbramq́; Parentis
Crediderim, noſco inceſſum, noſco ora, comasq́;)
Da veniam, & miſerere animi, Dea, numine preſſi:
Aggredior. nec plura refert, ſtratumq; relinquit.
Ecce autem vix ex oculis euaſit Erynnis,
Cùm foedis ſubitò coeptis occurrit Auerni
Inclytus, ætherijs Michaël qui præſidet armis,
Tartarei vindex ſceleris; quippe expulit alto
Aligerum infenſum Regi, turbamq; ſequentem
Primus, & Infernas olim detruſit ad vmbras.
Poſt immane nefas oditq; agitatq; rebelles.
Ipſe latus niueum lorica fultus ahena
Auriferis galeam confundit crinibus auream,
Ac teretem quaſſans ſumma vi feruidus haſtam
Inſertat læuam clypeo, quo protegit orbem,
Et vi de ſtygia, & furialibus aſſerit auſis.
Talibus effulgens volucer bellator in armis,
Quæ faber æthereis olim ſudata caminis
Fecerat omnipotens, pueroq; aptarat habenda,
Labitur in terras; rutilæ venientis ab ore
Scin-

Scintillæ absistunt, dant acria lumina flammas.
Ipsa sub obscuram diffundunt aurea noctem
Remigia alarum, medijq; è nubibus ignes
Præuenere diem. Solem decepta putauit
Terra citos adeò mirata resurgere currus,
Et lucem amplexa est. Postquam ad tentoria ventum,
Constitit adnixus pennis, contràq; ferocem
Ditigenam abrumpit vocem, horrendùmq; minatur.

Ecquando acceptam superis contundere gentem
Absistes scelerata lues? quo fine quiescent
Isacidum lachrymæ? nondùm piget horrida tela
Irritare Poli, & sat nota lacessere castra?
Nunc tibi quæ dicam, rerum quæ iusserit auctor,
Accipe, & imperijs parere assuesce supernis.
Non vobis dias habitandas luminis oras
Rex dedit omnipotens, atq; huic dominarier Orbi;
Sed cœcas longè sedes, & regna profunda
Sub terra, piceos amnes, ignemq; dicauit;
Illùc carpe viam, liceat sæuire per illos,
Et duro sontes animas vrgere flagello,

Sic valida increpitans trepidantem verberat hasta;
Insequiturq; fremens; volat illa per aëra latum,
Horrendùmq, vlulat tum magno victa dolore
Nigrum tartareis subito caput abdit in vmbris.
Sic vbi per noctem tacitus præsepia circum
It lupus insidias tenero meditatus ouili,
Si custos strato exiliat, telisq; minetur

Arreptis, fugit ille celer, fertq; irrita vota
Multa dolens, notisq; procùl se condit in antris.
Est lacus horribilis, vastaq; voragine vortex
Palmiferæ ad fines latè porrectus Idumes,
Cuius inaccessa est ratibus via, nec natat æquor,
Sulphuream exhalat nec non grauis vnda mephytim.
Hùc fama est cœlo, crimen quæ turpe piarent,
Accensas cecidisse faces, & funditus vrbes,
Quas regio latè superis auersa tenebat,
Vssisse, ac ciues horrendis imbribus atræ
Demisisse neci, cum læta feracibus aruis
Antè foret, vultuq; oculos lactaret amoeno.
Ex illo tabes, & lurida squallet imago,
Et cinerum testis locus est, ignisq; sepultus,
Atq; aër circùm caligine tristis opaca.
Hac via per densam patet atra in regna paludem;
Hanc adit infandum fugiens in Tartara monstrum;
Ponè subit Michaël, qui postquam in fornice pendens
Vestibulum infelix infensa luce flagellat,
Corripuere fugam in tetras exterrita syluas
Agmina, nec lumen cœleste afflata tulere.
Non secùs aëriæ specubus sueuere columbæ,
Aut Pandioniæ volucres caput abdere cœcis,
Cum timidum ex alto fuluus Iouis ales in agmen
Inuehitur. Sed miles adhùc hæc intonat ore.
At vestrum nemo ex numero muliebribus orsis
Obsistat, stygij, nil vobis restat inausum,
Quod

Quod premat Hebræos, & auitas eruat aras;
Sed nulli fas, ipſe viam Deus obice claudit.
Num ſpes audaci, num ſit fiducia cordi
Hoc prohibere Deo? dabitis, ſi temnere iuſſa
Audeat hæc aliquis, dabitis, fera pectora, pœnas.
His dictis perculſi animi, totusq; remugit
Orcus, & obſcoenæ domitor labat ipſe cauernæ.
Nec vultus audet mœſtos attollere coràm
A flagris, probroq; recens ſata principe noctis
Dira, ſed in clauſas penitùs fugit ima latebras.
At Michaël puro volucer ſe reddit Olympo.
Intereà parêre Herebo ſatagebat Haruſpex,
Cauſatusq; graues caſus, & iuſſa Deorum
Conuenit Abdaridem, ſomno qui fortè ſolutus
Proxima præteriti meditatur probra diei,
Et quo ſaxa modo ſuperet, captaq; potiri
Vrbe queat, certis abolere & dedecus armis.
Talia voluenti Cocytius adſtitit Hormus.
At dum Iuditham molitur crimen in ipſam,
Vertitur os, contraque ſonat mutata loquela,
Quippè Deus mentem eripuit, rapidique tulerunt
Monſtra noti, lethæa dolos abſorbuit vnda,
Et nouus illuſit Balaamus Perſidis armis.
Aggreditur. Tu ne Aſſyrium fortiſſime Ductor,
Iam dubites; quod non ſperas, tibi militat hoſtis;
Ecce erit ante pedes iam iam fugitiua Virago,
Qua nec conſilio melior, nec lumine formæ,

Quæ belli ostendat finem; vidi ora Deorum
Talia prodentum, vocemq́; his auribus hausi.
Tu parce, atq́; animam serua virtutis amantem:
Hæc vbi percepit Princeps, sententia versa est;
Opperiensq; auidè profugam, complectitur Hormum.
Ergo age (sic contra retulit) faueamus amicæ,
Et quò nos præfert regis fortuna sequamur.
Hormus vt abscessit, reputans, quæ acceperat Orco
Mandata in somnis, & quam contraria fatus,
Horrescit, stupefacta nouus per viscera terror
Ingreditur, iam iamq; amens, ac turbidus hæret,
Infandisq; agitur curis; Herebumq́; Polumq;
Incusat, seq; ipse suo pro crimine damnat,
Iamq; optat reuocare gradum, & diuersa referre;
Sed trepidat, vis maior adest, & inania vota
Opprimit, auditæ voces clamore furentis
Horribili, noctisq; Infernæ monstra rogantis,
Quid faciat, qua suscipiat scelus arte piandum;
Sed responsa negant, nulliq; oracula promunt
Acciti manes; dubitat nùm pectora ferro
Transfigat, & turpis disrumpat stamina vitæ;
Spes prohibet, contraq; hostes accensa cupido.
Ergò ille è castris, & magni limine Valli
Effugit, & longè tacitis se se abdit in antris,
Si quà fortè viam inueniat, qua Tartara placet;
Ira, pudorq́; agitant, victæq́; insania mentis.
Ecce autem Cœlo se se referebat aperto
Æmu-

Æmula Iudithæ nitidis Aurora capillis;
Floribus & latè Cœlum ſpargebat Eois,
Tum verò maior crebreſcit fama per vrbem
Illius egreſſum memorans, atq; excitat omnes;
Ante alios paſſis per eburnea colla capillis
Mixtæ virginibus nuptæ cum mollibus ibant
Orantes veniam, Regemq;in vota vocantes
Sydereum. Ne ſumme Pater, ne deſere tantis
Ancillam inſignem donis, atq; annue cœpto;
Placa iras, cohibe arma feri prædonis, & ipſum
Hoc auerte ſolo. quò te pulcherrima, quò te
Proripis, heu noſtræ decus, & ſpes vnica gentis?
Sic paſſim auditur; mœrent, ſperantq; viciſsim,
Inſtaurantq;diem votis, pacemq; precantur.
Parte alia impatiens, monitisq; intentus amici
Acer Holophernes magnos è ditibus artus
Extulerat ſtratis, humerosq; incluſerat auro.
Conueniunt primi procerum, belliq; magiſtri
Mille ſalutantes, & regia iuſſa petentes,
Mœnia vt inuadant; æquat iam machina muros.
Ille moras dictis ferit, & ſua decipit arma.
At ſilicem Iudith ſinuoſum emenſa ſub ipſum
Læta propinquabat Vallum, portaſq; tenebat,
Cum gemini occurrunt, prohibentq; à limine greſſum
Exploratores haſta, clypeoq; coruſci,
Nec ſubitò faciles; oculos ferit æneus vmbo.
Inuadunt. Cohibete pedem; quibus itis ab oris?

Quod

Quod veſtrum eſt iter? illæ nil ſermone moueri,
Nec reuocare gradum, Iudithaq; talia reddit.
Vos verò nulla, ò iuuenes: fortaſsè fatiget
Suſpicio, quantum eſt animi muliebris, amicæ
Adſumus, & fauſta Aſſyriæ damus omina genti.
Bethulia hùc greſſum tulimus regione viarum
Ambigua, & coeca tectæ caligine noctis,
Quandoquidem haud dubiæ cladis formidine captæ,
Dum veſter Dux ingenti quatit oppida bello,
Has vltrò induimus mentes, & coepimus vltrò
Maturare fugam, & malè fauſta excedere terra.
Vos, precor, eſte duces, dominoq; admittite veſtro,
Vt res Iſacidum ſummas, arcanaq; diſcat
Conſilia, & noſtras veniat ſublimis in arces.
Immò nihil domino poterat ſuccedere noſtro
(Excipiunt illi) felicius, ò Dea certè,
Nam neq; mortalis credenda es ſanguinis vna,
Nec decuit talem flammis ardere futuris,
Non tamen officio concedet maximus ille,
Nec tibi prò meritis non grandia dona rependet.
Tu verò ingredere, & nobis ducentibus aude.
Talibus effati ſe ſe intra caſtra ferebant.
Poſtquam progreſſi, & cuneos delatus in omnes
Rumor ijt, calidis ardeſcunt pectora curis
Continuò, iam, iamq; volat captiua iuuentus.
Sicut noctifugi, manifeſto lumine quà ſe
Flammea per patulam monſtrauit tæda feneſtram,
Agglo-

Agglomerant se se culices, circumq; supraq;
Agmen amore nouo semiustis conuolat alis,
Nec prius absistunt, quam victor puniat ignis
Exitio amentes, habeantq; in luce sepulchrum.
Non secùs ad monstrum pubes peritura ruebat,
Inq; peregrina pascebat lumina forma.
Accelerat vincens curas, & vota iuuentæ
Iuditha ad magni gressum prætoria Regis,
Aurea quæ centum medijs retinacula castris
Surgere dant Cœlo, & caput inter condere nubes.
Ante fores clypei pendent, hastæq; trabales,
Et leues galeas, & grandia scuta reclinant.
At locus interior radiabat imagine regum
Clarorum bello, Assyria ditione potentum,
Queis adeò fului saturabat plurimus auri
Purpuream nimbus chlamydem, latèq; fluebat.
Iamq; in conspectum procerum, supremaq; ventum
Concilia, Abdarides vbi sede innixus eburna
Opperiens belli in speciem de rebus agebat.
Ille quidem Assyrijs opibus, luxuq; superbus
Barbarico ardentes referebat lumine flammas;
Aureus est humero thorax, lateri aureus ensis,
Cœruleamq; auro lænam variante hyacinthus
Discolor it supra, summo quem pectore diues
Fibula nectebat, glomeratis vndiq; vittis
Ardua multiplices onerabant tempora gemmæ.
Vt vidit, perijt, specieq; viraginis amens

In ſola hærebat, miſerumq; bibebat amorem,
Natiuasq; mali lenibat neſcius iras.
Obſtupuit tanto aſpectu manus aurea circum
Magnanimum heroum, totisq; hauſere medullis
Illuuiem, nec iam diro conuellere bello
Regna placet, quæ talis alant ſpectacula formæ,
Nec decora his aiunt factis æterna parari.
Exuitur pugnæ iamdudum accenſa cupido;
Dux varijs agitur curis, ancepsq; fathiſcit.
Iuditha, vt tanta cùm maieſtate ſedentem
Aſpexit Perſam, ſolioq; inſigne coruſco
Circumfuſum ingens ſinuoſo tegmine velum,
Palluit aſpectum verita, & pudor indè ſecutus,
Pronaq; decumbens in morem gentis adorat.
Ille vetat, turba accurit, terraq; iacentem
Iuſſa leuat, Ductorq; prior compellat amicè.
Iam tibi, quæcumq; es, trepidā, pulcherrima Virgo,
Fas omnem ex animo curam deponere, noſtra
Te non arma petunt, nec ni ſumus hoſtibus hoſtes.
Verum agè, quæ miſeros demens fiducia ciues
Nuncalit? & quæ ſpes confirmat inania vota,
Orbis dum noſtro totus ſub verbere languet?
Numen enim teſtor magni venerabile Regis,
Qui nos ſucceſſu dat ſubdere regna ſecundo,
Inuitum me inferre viris lachrymabile bellum,
Nec mihi mortali ſaturantur ſanguine fauces;
Quod ni reſponſis acuiſſent turpibus iras,
Ni

Ni patrios contrà firmassent milite muros,
Nec tuba, nec trepidæ violarent ocia curæ.
Causa mali vestra est. Sed quæ sententia tandem
Altricem liquisse domum, patriosq; penates
Impulit? effare, ac veniendi edissere causas.
Dixerat; illa oculos tollens pudibunda decoros
Facunda in dulces soluebat labra loquelas.

Magnanime Assyriùm Ductor, spes maxima rerũ,
Haud minùs exuperans animos virtutis amore,
Quàm loca vi belli, & semper victricibus armis.
Ad te deserta, & patrijs à mœnibus exul
Fœmina confugio supplex, oroq́; salutem;
Ne renuas, haud fama leuis succurrere victis,
Nec fortè insontes animas seruasse pigebit.
Certè hæc spes placito patriam mutare coëgit
Exilio, dulcemq; domum, & genus omne meorum.
Quæ si ferre iubes, factiq; agnoscere causas
Te iuuat, expediam, populiq́; arcana recludam,
Nam nihil immerito iam me debere fatebor.

Vt primum nostris exercitus appulit oris
Assyrius, vidiq; locum obsidione teneri,
Multa fugam sub nocte domo suasere relicta
Moliri, & furtim misera decedere terra;
Id verò in primis, quod tela rebellia dextra
Stringimus, & iusto regi parere negamus;
Hæc loca nam regum Assyriæ virtute priorum
Capta bono nunc iure nouus sibi vendicat hæres;

Scilicèt exemplis testatur pluribus orbis
Iustitiam iniusto vinci nescire duello,
Taliaq; aggressas semper succumbere gentes.
Me quoq; non latuit, fugiendiq; auxit amorem,
Qui numerus Cœli stellas, maris ęquat arenas
Bellantum, & moles, & ouantes puluere currus,
Castraq; militiæ vel formidanda magistris
Bellonæ, & fratri, verax si fama fuisset;
Tuq; prior, cuius nutu, auspicijsq; vocata
Obsequio plaudens miro Victoria paret.
Norunt percussi reges, & regna subacta,
Agminaq; in præceps collatis tradita signis.
Iamq; adeò Auroræ, iam vincla tepentibus Austris
Iniectas; tua Dij paribus sensere ruinis
Arma, nec euersis cunctatur Iuppiter aris.
Nos autem genus exiguum, nullius & vsus,
Militiamq; pati indociles, & inertia corda.
Verum quod superat, quodq; est impensius æquum
Consilio amplecti, geminatq; in corde timorem,
Crimina sunt huius populi, scelerataq; vitæ
Præ cunctis ratio seclis, quam certa sequetur
Pœna modo, frustràq; petunt ab Numine pacem
Nec si telluri illudunt, cœlestia fallunt.
Nam velut ille Deus, cui nostra altaria fumant,
Defendit, cum recta fuit sententia, patres,
Ac siccis duxit suspensa per æquora plantis,
Solq; pedem tenuit mortali iussus ab ore;

De-

Degeneri ſic ipſe frequens de ſanguine ſumpſit
Supplicium (vos Aſſyrij pars maxima pœnæ)
Cum dolus eripuit mentem, & maleſuada libido,
Iſtaq; viridici cecinerunt omnia vates.
Iamq; vides, quò res ductę, penuria quandò
Nos ingens premit, & potum negat arida tellus,
Pręſentemq; necem manifeſta in luce tuentur.
Ne verò auerſæ gentis commiſſa require;
Num quemquam lateant? ex vno tu tamen auſu
Diſce genus, nam concilio paulò ante coacto
Hos inter motus belli ſtatuere lebetes
Relligione ſacros, quos attrectare profano
Haud vlli fas eſt vſu, atque auertere templo,
Sacrilega violare manu, raptoq; potiri;
Nec ſanctas leges, diuinaq; temnere iura
Horreſcunt, impunè Deus num talia cernat?
Hæ dubios potuere animos accendere cauſæ,
Inuiſam vt ſuperis optarem linquere gentem.
Magna feram, ſed vera; Deus, Deus ipſe putanti
Adfuit, ac ſenſim ſtimulos admouit acutos,
Ipſa nec incertis fulſerunt ſydera ſignis.
Parui, & obſcura demùm ſub nocte profugi,
Ac multa ſimulans cuſtodes arte fefelli.
Scilicèt ille mihi ſemper Deus, illius vſq;
Numina magna colam, lachrymisq; in vota vocabo;
Si tamèn in vallem tacita deſcendere nocte
Annueris, precibúsq; dabis diuinitùs æquæ

Veſti-

Veſtigare diem pugnæ, cladiſq́; futuræ.
Ipſa tibi demùm diuina oracula pandam,
Vt Solymis nullo potiaris ſanguine regnis.
Neu dictis auerte fidem, victoria quandò
Spondetur ſine cæde virùm, me me ætheris alti
(Rurſus enim repeto, atq́; vltricia ſydera teſtor)
Ipſe Pater miſit; ſic iuſtas arſit in iras,
Sic adeò pœnas ſcelerata è ſtirpe repoſcit.
Talia commemorans regem lenibat amore.
Obſtupuit, fauſtoq́; excepit murmure coetus.
Sic res aſſenſu meliorum eſt credita vulgò
Vniùs ingenio, facundaq́; arte puellæ.
At coeco Abdarides iampridem captus ab igni,
O quãtum huic (addit) memoras quem, Virgo, Deorum,
Ille loci vel ſit genius, vel ab æthere Numen,
Prò ſpecie oblata, prò rebus ritè retectis
Debemus, tantis fas dona rependere donis,
Obſequitur quibus ille Deo, cui ponimus aras.
Tu quoq́, prò meritis dexrra ditabere noſtra.
Intereà è caſtris liceat veſtigia in omnes
Ferre locos, noctuq́; Deum regionis adire;
Nec quiſquam audebit; quando hæc eſt noſtra volũtas,
Aut prohibere iter, aut gradiendi poſcere cauſas.
Sic fatus laquéis ſe ſe miſer implicat vltrò,
Immemor, ingenio quid fœmina poſsit, & ore:
Tanta amor humanas hebetat caligine mentes.
Extemplò famulum numero delegit ab omni
Semi-

Semiuirum Bagoam, quem tellus humida Nilo
Edidit, ac fidum nurui dedit esse ministrum,
Designatq; locum rectis, vbi scilicèt haustu
Nectareo, & mensæ dapibus vescatur herilis.
Non tamen assensit peregrinis Isacis escis,
Quamuis instarent contra Ductorq; patresq;,
Relligione sua quas, & pro rebus agendis
Attrectare nefas; patria se ex vrbe tulisse,
Quæ sat erunt, neq; deficient absumpta, priusquam
Imponat rebus diuino munere finem.

Nec fata vlteriùs Bagoam sectatur in ædes.
Est locus, eductum Cœlo penetrale corusco,
Castrorum spatio in medio, quo Persica gaza
Tutò asseruari suerat; scriptiq; talenta
Argenti, atque auri (belli vis summa) latebant.
Hùc etiam tractæ exuuiæ, captiuaq́; vestis,
Quodq́; per euersas rapuerunt ditiùs vrbes.
Intrant Isacides, hæc illis regia tectum.

Hic oblata nouam subito res mira salutis
Spem dedit, & visa est lætum promittere finem;
Nam dum regificis penetralibus omnia lustrat
Iuditha, ornatu in vario, atq; tapetibus aureis,
Seù casu acciderit, seù Cœli numine, pictæ
Isacidum sortes, & pulchra apparuit Hester.
Tunc illi ardenti per vultum, & nota tuenti
Lætitia effusę lachrymæ, & quisnam locus, inquit,
Hostibus & medijs nostris vacat Abra triumphis,

Spe-

Speremus, non frustrà oculis hæc reddita nostris.
Sic loquitur, pictisq; animum succeßibus explet;
Namq́; tuebatur, quà Rex orientis opimi
Reginæ auferret sceptrum parere neganti;
Atria formosis quà ductis vndiq; Regi
Virginibus fluerent, & tantum vinceret Hester
Æquæuas iam lecta viro, iam regia coniux,
Quantum Luna faces per noctem plena minores.
Parte alia insanis odijs accensus, & ira
Sæuit Aman, tempusq; necis sortitur iniquæ
Abrami in semen, captiuaq; perdere ferro
Colla iubet, penitusq; genus delere superstes.
Stant armis Persæ accincti, lux imminet atrox.
Insomnem interea noctem Rex magnus agebat,
Annalesq́; legi, & rerum monumenta reuolui,
Ornariq; virum Hebræa de gente iubebat,
Qui coniuratæ deprendit fœdera noxæ.
Ille insperato victor splendore potitus
Regius ibat equo mœrenti ductus ab hoste,
Purpureusq; super gemmis radiabat, & auro.
At Regina suis metuens mœstißima Regem
Lenibat, supplexq; pedes amplexa tenebat.
Has te ego per lachrymas oro, per si qua salutis
Cura meæ tangit, coniux, miserere dolorum,
Parce meo generi, sedet in penetralibus hostis,
Ad lethumq́; rapit, meq; ipsam in funera poscit
Nil veritus thalamos: in te committere tantum
Quid

Quid miſeri? quid ego potui? Pro talibus ardet
Regnator, neq; ſupplicium differtur Amano;
Ille pati, immerito capiti quod triſte pararat;
Iſacidæ in Perſas vlti mucrone ruebant.
Hoc ergò in tecto rebus deuota gerendis,
Perſica ſecuros dum captant agmina ſomnos,
Euigilans ignem ſopitum Hebræa ciebat,
Atq; abiens liquido luſtrabat flumine corpus,
Pronaq; ſupplicibus votis ambibat Olympum.
Me rege, ſumme Pater, cuius pro laude paciſci
Hoc placuit caput; egregium defende laborem,
Ne pudor ancillę nutet, ne vita tuorum,
Nam quem das finem? miſeros quo tempore ſoluis?
Hæc effundebat lachrymans, triſtesq; ſuorum
Ærumnas animo recolens, molliſſima qualis
Daulias, vt nido pernicibus auia pennis
Auolat, & natis præſentes quæritat eſcas,
Hos ſolos animo voluit, metuitq; relictis.
Aſt vbi ſat precibus factum, atq; in caſtra reuerti
Tempus erat, rebuſq; color ſub luce redibat,
Condebat ſe ſe in tectis, ac ſede remota
Dum nox atra polo rueret, terraſq; teneret.
Tum Cererem, & duræ expediens obſonia coenæ
Paulùm inſtaurabat vires, ſomnoq; fouebat.
Non tamen attactu interea polluta profano
Iura pudicitiæ ſoluit, vetuere ſupernæ
Virtutes, foedoſq; Deus compeſcuit auſus.

Fama eſt Aligerum, Cœli genus, additus ipſi
Qui fuerat cuſtos nitenti matris ab aluo,
Cum primùm greſſus Iuditha in caſtra tetendit,
Ex adytis longè æternis, vbi Martia gaza
Militiæ in magnos cœleſtis conditur vſus,
Mucronem igniuomum retuliſſe, acieq; timendum
Fulminea; hoc dextram valido munimine fultus
Venerat, & lateri ſolers adſtabat amico,
Ne qui vim niueo poſſent inferre pudori
Intereà, magniſq; (nefas) illudere cœptis.
Veſtibulum arcanus tenuit timor, ipſaq; caſſo
Conatu abſtinuit retrò conuerſa iuuentus.
Fors idem hic ille eſt gladius, quem miles Olympi
Diſtrinxit prima naſcentis origine Mundi,
Cum doctus verſare dolos fatalia ſerpens
Incautæ ſuaſit matri decerpere poma,
Et dubiam pepulit mentem, ſoluitq; timorem.
Tum Deus obſeruans vnà peccaſſe maritum
Continuò iuſſit geminos abſiſtere ſeptis
Fortunatorum nemorum, foribuſq; beatis
Maturare fugam, manſuraq; oſtia ſera
Munijt; horreſcunt ſcabra rubigine poſtes,
Et tacitæ torpent effœto cardine valuæ.
Hic quoq; flammiferum criſpans ſtetit Aliger enſem,
Obſeditq; fores, ac nulli deinde meandum
Intercluſit iter. Læſo pro cortice terras
Et mors, & legio tenet importuna malorum,
Primaq; peiores luimus commiſſa Nepotes.



IVDITHAE VINDICIS

Liber Tertius.



NTEREA Ephræmus Solymas emissus ad arces
Cunctandi impatiens inimicum euaserat agmen.
Nunc agè, Bethuliæ quænam surgentis origo,
Quique status, viresq; forent, cum Persidis armis
Tempestate illa vallauit Barbarus vrbem,
Diua refer, qua deinde pedem regione locorum
Detulit, inq; altæ peruenit septa Syonis
Nuntius Oziæ facturus iussa, reclude.
Arboreis patet alta iugis, atq; vbere aquarum
Læta Palæstino tellus pulcherrima regno,
Quæ cultu pecorum pingui, & cerealibus aruis
Oppida centum alit. Isacidæ coluere frequentes,
Et famam dedèrunt. Galilæam nomine dicunt.
Quà celsos tollunt humeros, cœloq; minantur
Ceruice aëria montes, & rupibus horret
Saltus inaccessis, & planis imminet amplis,
Chananio armipotens de sanguine Bethulus olim
Vertice delecto fundauit desuper vrbem,
Bethuliamq; suo dici de nomine iussit;
Quippè loco fidens, trucibus dum personat armis
Cir-

Circùm omnis regio, & ſua quiuis iura tuetur,
Hùc aduexit opes, ſedemq; à limine primo
Tranſtulit, & regno cauit conſultus auito.
At poſtquàm Agypti dura ditione ſoluto
Abrami ceſsit generi feliciter ora,
Rectaq; barbaricas diuinitùs arma cateruas
Fudere, atq; arces latè obtinuere ſuperbas,
Hæc Ephræmigenis tellus habitanda colonis
Obtigit; illi auctam porrò creſcentibus annis
Firmauere minis murorum, ac turribus vrbem.
Ductilibus riuis intus, lymphaq; frequenti,
Aduena quæ multum terræ perlabitur æquor,
Vtuntur, foris irrigui per deuia fontes;
Nec latus per rupem aditus, nec ſemita mollis,
Et valles circùm alternæ, collesq; coronant.
Quà roſeos Aurora recens lauit æquore vultus,
Eſt lacus, & vortex iam fama notus vbiq;,
Biſſeni, quem deindè, Deo comes addita pubes,
Sulcauere viri, totum qui legibus orbem
Formarunt ſanctis, diuinuſq; ipſe magiſter;
Ij piſces captare plagis, hic ſpargere voces,
In vulgum eximias, ignaraq; corda docere.
Quà Sol occiduas deſcendit feſſus ad vndas,
Sudantes & amat curru ſoluiſſe iugales,
Nazareæ ſurgunt turres, vbi lapſus in aluum
Virginis intactæ noſtros Deus induit artus,
Arcana Aligero referente oracula ſummo.

Ad

Ad Boream Tyrij resident, & pinguia culta
Phoenicum; Solyma exoritur, qua sibilat Auster;
Hoc caput imperij, hic solium Deus annuit esse
Isacidis, latisq; dedit dominarier oris:
Felices, magni nossent si dona Tonantis.
Ergò Bethuliæ cedebant moenia retrò
Ephramo celerante gradus, atque arua secante;
Ille autem, vt primum licuit, velamina Persis
Detracta abiecit longè progressus ab hoste.
Diffugiunt etiam fastigia celsa Taboris,
O quibus ornanda ostentis, æquandaque coelo,
Cum Christus, qualis supera versatur in aula,
Et quantus, dabit hoc instar se in monte videri,
Et verum Numen mortali in carne patebit.
Iamque adeò fines tetigit Samaritidis oræ,
Regnaque non tenui quondam gaudentia fama,
Linquitur occisi tellus antiqua Nabothi
Prò cultis regi (demens, qui talia regi)
Prò patrijs agris cum libertate negatis;
Infamisque Bethel; manet omni mente repostum
Dedecus, & culti non cessat fama iuuenci;
Scilicèt vt regni Pharijs reuocatus ab oris
In partem venit famulus, terraque rebellis
Hac sedit, veterem ad dominum ne regna redirent,
Turpe nefas posuit, statuitque altaria tauro
Impius, & gentem Solymis auertit ab aris.
Prætereunt aliȩ haud tenues, famauè minores
Tunc

Tunc ſedes Iudæ innumeræ; nunc oppida ſæui
Thraces habent, Arabesq́;, & barbara nomina tellus
Induis, his te noſtra malis diſcordia preſſit.
Dextram ſemper habet Syrium mare, & æquora longè,
Iordanis læuam puris interluit vndis.
Iam totum ſuperarat iter, iamq; ampla tenebat
Mœnia, & ingentes ſummis in collibus arces
Regnatas olim egregiè, celſæq; Syonis
Æquatam cœlo molem, & faſtigia templi;
Ingreditur, fama attonitam rumoribus vrbem
Implet, conciliumq; vocat Pater, altaq; pandit
Atria, quæ rerum nouitas, quid venerit ille,
Scitari, & ſi fas, ardet ſuccurrere rebus:
Nec mora, conueniunt in limina celſa frequentes:
Adſtitit Ephręmus, ſimul has dedit ore loquēlas.
Bethulia afflicta, Proceres, & mœnibus adſum
Iuſſus ab obſeſſis, magno me inſtante periclo
Scilicet Ozias Solymas emiſit ad arces.
Quæ nos circumſtent acies, eductaq; longè
Agmina purpurei magnis Orientis ab oris,
Haud memorem, tulit hùc certè ſe fama minorem;
Propterea ſi ſola mouent mortalia mentem,
Haud noſtrum à tantis opibus defendere muros,
Vel ſi tergeminum diſtringat quilibet enſem.
Nec verò ſpes vlla moræ, Cerealia quando
Auxilia abſiſtunt, ablataq; copia lymphæ eſt;
Iamq; aliquis paſſim rebus deficit in arctis,
Et

Et matres ſcindunt ſcelerata in fercula natos.
Hoc tremefacta malo, mutata denique mente
Plebs noua concepit ſtudia, & bacchata per vrbem
Magnis optauit dedi victoribus arces,
Et pacem quauis ſub conditione rogari;
Nec valuit pius Ozias, flagrante tumultu,
Mutare in melius populum, caſuq; coactus
Promiſit, quinis adſit ni forte diebus
Subſidium, atq; ſalus placidis affulgeat alis,
Vltrò cum Syrio feriturum Principe fœdus.
At quia nos decuit ſoli confidere cœlo,
Suadere Iſacidis nec quiſquam debuit auctor
Ætherium propriæ rectorem defore cauſæ,
Propterea, quorum ſani ſub pectore ſenſus,
Degeneres plebis damnarunt protinùs orſus;
Quamquàm quis plebi legem præſcribat inerti?
Diſſenſit populo in primis ſat cognita vobis
Iuditha, imperij lumen mirabile veſtri;
Quodq; magis mentes nouitatis imagine pulſat,
Neſcio quid ſecum reputans in caſtra parabat
Ferre pedem, iamque illa viam fortaſsè peregit,
Nec quid conſilij, quæ ſit fiducia cœptis,
Hactenùs ignari aſſequimur; ſenſuuè tenemus.
Si ſpes eſt animum precibus mutare Tyranni,
Haud ſcio, quid mentes mollis facundia formæ
Poſſit in immanes, nec ſermo auditur in armis.
Hic vrbis miſeræ ſtatus, hęc incommoda torquent;

Nunc

Nunc veſtrum eſt rerum tantarum expendere caſus,
Quæque animo ſurgat vobis ſententia, ferre,
Frumentis placeatne leuare, atque addere vires,
Vnica quæ obſeſſos dulci ſpes vbere paſcit,
An Perſas Ductor ſibi deditione feroces
Conciliet. ſi forte iuuat ſuccurrere feſſis,
Atque nouas acies, & ſpicea mittere dona,
Conſulite in medium celeres, quæcumque paratis,
Ipſe modum inueni ſubeant quo moenia noſtra,
Et magna Aſſyrij fallant tentoria regis.
Hæc ille, at ſolio Eliachim ſic infit ab alto,
Compellatque viros dictis, adimitque timorem.
Dura quidem, Patres, cum primum adiecimus armis
Conſilium, & bello placuit defendere fines,
Vidimus hęc, caſusque animo præcepimus omnes,
Nec ſatis ille ſui (ſi quis) ſibi conſcius eſſet
Qui vinci noſtris ſperaſſet viribus hoſtem.
At freti rerum domino, qui vindice dextra
Fulmineos ruptis iaculatus nubibus ignes
Aduerſas delet facili virtute phalanges,
Has vltrò ærumnas, hæc duri incommoda Martis
Induimus, caput inq; vices deuouimus omnes.
Scilicet haud agitur de re, ſeù ſanguine tantum,
Sed pietas, dum Perſa adytis crudele minatur,
Diuinæque labant leges, antiqua coëgit,
Spemque dedit trepidis, firmauitque vna Senatum.
His adeò ex cauſis vobis immota manere
Cre-

Crediderim consulta eadem, & præsentia quamuis
Detrimenta premant, nullo discrimine haberi.
Non est consessus, animiq́; ignauia vestri,
Nec vos indignè vitam præponitis æquo,
Ergò animo hæc dudum subijt sententia nostro,
Vndiq́; collectis afflictæ vt protinùs armis
Bethuliæ mittamus opem, flauæq́; iuuemus
Muneribus ciues Cereris. Producere bellum
Si fas, quis scit, qua præstet Deus arte salutem?
An temerè ad magnos Iuditha accesserit hostes?
Sin veniam sæuo Persarum ab Rege petendum,
Saluis id videant superiq; hominesq; fuisse
Legibus; est vestrum, Proceres, incumbere causæ
Communi, & qui sint animis, euoluere sensus.

Talia voce dabat, totusq́; ardebat in arma
Sacrificus senior flammis afflatus Olympi.
Nec discors, aut sera fuit sententia patrum.
Tum Phineus pius ante alios, cui plurima virtus
Mentis erat, quamquam premeret longæua senectus;
Quod deceat, quodq; est æquum, Pater optime, dixit,
Consulis, & septa auxilijs obsessa leuando
Hortaris tentare moras, & fidere Cœlo.
Verum cum tempus populos accersere desit,
Quidnam confieri præstet me iudice, dicam.
Custodes arcem delecti, & claustra Syonis
Quingenti seruant, vigilesq; ex ordine ducunt
Excubias, duro pubes assueta duello.

Ægræ festinent illi succurrere genti,
Arci præsideant ciues, atque intima pubes
Intereà, atq; dies, noctesq; ad limina sistat,
Dum populum acciri liceat, regnoq; coactas
Iungere opes; quin nos etiam diuisa vicissim
Munia sortitos fas est proferre laborem;
Ipse meas senio partes effœtus obibo.

Qualem purpurei veris spirantibus auris
Frondea dat sonitum sylua, & fremit ora susurris
Lenibus; haud minor in sancto vox orta senatu est,
Et Phineum laudant, assensuq; atria plaudunt.

Ergò erit iste labor tecum; tu pergere cura,
(Respondit Phineo Eliachim) spectata Syonis
Agmina Bethuliæ obsessas mœrentis ad arces,
Et vitæ auxilio messem. tibi munera porrò
Prò meritis, Ephræme, tuis dare digna nequimus,
Illa tamen quæ fert præsens fortuna, manebunt
Mox immota tibi, nec prorsum inglorius ibis.
Nunc ad Bethulidas, qualem breuis hora ministrat,
Deportabis opem solers, animoq; iubebis
Esse bono Oziam, speret, spemq; addat inerti.
Non vanam populo, nec deditione pudenda
Polluat Isacidum nomen, famamq; parentum,
Nam bene non emitur deserto vita Tonante.
Tu verò nostris, Phineus dum coetera curat,
Consides mensis, mittesq; in membra quietem

His adeò expletis templum sublime Sacerdos
Exi-

Eximius tota procerum ſtipante caterua
Ingreditur, quò thure Deum, ſacriſq; litatis
Ante operas omnes, terrenaq; munera placet.
Accingunt ſe ſe celeres, pateraſq; miniſtri
Expediunt, ſyluiſq, onerant pręſentibus aram;
Victima conſpicuus iuxtà eſt delecta iuuencus;
Feſtinant, operiſq; frequentibus atria feruent.
Ipſe Sacerdotum puro ſe flumine princeps
Abluit, ac ſpeculo maculas rimatur inertes,
Albentemq; humeris veſtem, velamina prima,
Circumdat latis, plantas it limbus ad imas.
Coeruleus ſupèr, ac diuerſicoloribus alter
Velleribus textus, dein alter, & alter amictus
Aptatur; pectus gemmis, humeriq; refulgent
Biſſena inſcriptis Hebrçæ nomina gentis;
Purpura connubio iungit ſibi læta Hyacinthum;
Nec leuis, aut opere ex alio latera ardua circùm
Baltheus, & duplici decurrunt cingula cocco;
Aſt ordo extremas argenti pendulus æris
Antè animat, retròq; globis vocalibus oras,
Mixtaq; purpureos abrupto cortice produnt
Mala ſinus, limbumq; alterna luce coronant.
Poſtremum capiti ſuperadditur ornamentum
Infula lunatis hinc, atq; hinc aurea pinnis;
Celant diuino ſacram ſub nomine frontem.
Iamq; Deo ſtabat ſimilis, iam ritè pararat
Rem ſenior, longèque ſilens intenta tenebat

 Ora

Ora ingens turbæ numerus, cum feruidus ille
Antè aram ſtetit, ac tauri ceruicibus inſtat,
Imponitq́; manus. Hanc tu Pater optime mundi,
Accipe ait, noſtra quæ nunc cadit hoſtia dextra,
Parce pijs placidus, præſentiq́; eripe cladi
Relligione tua ſontes, & Numine vero.
Sic cadat Aſſyrius, ſic terram ſanguine fœdet.
Vincendi tibi mille viæ, neq; multa veremur
Agmina, multiplici nec virtus agmine conſtat,
Sat voluiſſe tibi. poſtquam luſtralibus ardens
Impoſuit finem votis Pater, ecce iuuencus
Sternitur, & ſacri conduntur gutture cultri;
Ille necem properam mugitu deflet amaro
Vitam per vulnus alterno ſanguine fundens.
Subijciunt alij pateras, calidumq́; cruorem
Suſcipiunt, aramq; rubenti flumine luſtrant,
Viſcera dein alij nudant, ac tergora coſtis
Diripiunt, artusq́; ſacros in fruſta recidunt,
Suppliciterq́; Deo lectas altaria ſuprà
Exurunt epulas, cœſiq́; abdomina tauri.
Concepere ignem trunci, flammæq; micantes
Dant crepitum, cœloq; Pater iam mitis ab alto
Nidorem excepit, nec tempore lætior vllo
Ipſe Polus veniæ ſignum dedit, atraq́; vertit
Nubila in auroram, occiduisq; refulſit ab oris.
Addit liba ſacris ſenior, thurisq; Sabęi,
Reſperſæq́; oleo cereris, donatq; Sacerdos

Igni-

Ignibus, & grato Coelum perfundit odore.
Sparguntur vota, & tacitis clamoribus orant.
Postquam congeries cecidit, flammæq; quierunt,
In summas arces graditur, belloq; cateruas
Euocat, & validis Phineus celer instruit armis.
At non oblitus Senior, qui summa tenebat,
Ephræmi, instratis dat fessum accumbere mensis,
Nec non ingentem dapibus lenire laborem,
Multa supèr bello rogitans, quibus impius armis
Assyrius fidat, quæ damna inuexerit vrbi.
Conueniunt multi procerum, mensasq; coronant.
Postquam instauratæ vires, epulisq; refecti,
Ephræmus cœpit. Longi sermonis egentem
Rem, Pater, ac duros mandas memorare labores;
Summa tamen capita ore legam, paucisq; docebo.
Iam Persæ Euphratis ripis, iam Tigridis amni
Victores vincla indiderant, longèq; rubentis
Auroræ populos vasta ditione premebant,
Cum pingues adeò ad colles frondentis Idumes
Assyrias acies, & regnis sparsa propinquis
Agmina cogebat Ductor. mihi credita cura est
Vadendi, atq; hostis vires, atq; arma tuendi.
Ipse quidem ignotus varium mentita per agmen
Tela gerens humero vestigia tuta ferebam.
At nostro infensus generi, qui præsidet Heros
Assyrium castris, nimias exarsit in iras,
Quòd tenues, Syriæq; adeò breuis angulus oræ
Spre-

Obruit, ac reduci currus abſorbuit æſtu.
His illi vltrices debellauere cateruas
Præſidijs, greſſumq; procùl per tuta tulere.
Inde alacres longo deſerta per auia tractu
Ad Sinæ venere locos, vbi luſtra ferarum
Sola, nec humanæ ſcribunt veſtigia plantæ.
Illic continuò latices mutare malignos
Ipſe Deus, nubes epulas præbere miniſtræ,
Omnes aduerſi conuertere terga manipli.
Ex illo prognatus honos, & gloria genti;
Hoſq; adeò fouit pręſenti Numen amore,
Horrida vt aſsiduis fulgerent caſtra trophæis.
Sic ipſi oraclo ſuperorum in debita ſceptris
Regnæ ſuis ibant, legemq; Deumq; ferebant.
Non tamen æterno riſit fortuna fauore
Iſacidis, nam terga Deo ſi forte dediſſent,
Et vetito patrias violaſſent crimine leges
Horribilis merito repetebat ſanguine pœnas,
Factaq; vindicibus mulctabat praua flagellis.
Non aliter cum iura daret Rex aureus ollis,
Atq; opibus latè iamdudum, armiſq; valerent,
Externis dum Numinibus diuina faceſſunt,
Ecce ferox armis Solymam vaſtauit opimam,
Captiuumq; tulit Babylon miſerabile vulgus;
Hæc deſerta fuit regio, ſcelerumq; piamen
Teſtata eſt longùm triſti ſquallore locorum.
At culpas dein pertæſi, vitæq; prioris,

Im-

Impuras ignominias, veniamq; precati
Placato ad patrias remearunt æthere terras.
Nunc nec habent regem, nec multùm extendere fines
Imperij possunt; senior ditione Senatus
Cuncta tenet, summusq; super dat iura Sacerdos.
Tu vero genti crimen si fortè piandum
Comperias, auersâ Dei si fortè voluntas,
Ne dubites inferre manum, victoria namq;
Certa tibi est, Deus ille tuos comitabitur ictus.
Sin fas obseruant patrium, nullæq; supersunt
Irarum causæ, nec mentem audacia mutat,
Quam vereor, ne nostra ferant se se irrita vota,
Quamuis sub signa hùc totum collegeris orbem.
Talibus Ammonius succendit pectora dictis,
Nam simùl auditæ voces, cuncti ore fremebant
Assyrij, furit Abdarides, iuuenique superbus
Imminet, ac torua suspensum luce pererrat
Numinis inuidia nostri iactatus, & altis
Nostrorum titulis operum, famaq; parentum.
Ceu qui improuisum densæ prò limine Syluę
Aspexit stantem Massyla per arua leonem,
Horrescit pauitans, via nec patet vlla salutis.
Haud secùs Ammonio coit in præcordia sanguis.
Ima metu, repetit trepidas vox frigida fauces;
Ille armis iubet exutum, manibusq; reuinctis
Bethuliam post terga trahi, frustràq; precantem
Increpat aggrediens. Sperasti'n, perfide, tantum,

Sperasti'n scelus à Persis impunè futurum?
Sic tibi mentiri, atq; hostem laudare putasti
Inuentis tutum? nunc verò, maxime vates,
Tu quoque Bethuliam victricem victor habeto,
Parcere tùm nobis libeat. Quis te occupat horror?
Quid metuis? quæcumq; vrbem fortuna sequatur,
Hæc erit ipsa tibi; nulla est iniuria facti;
Macte animo, feret ecce Deus, Deus ille salutem.
Hæc Princeps; famuli properant, & ferrea nectunt
Vincula nil contrà audenti; contemptus, inermis
Ille per ingratos montes, atq; aspera saxa
Bethuliam inuito rapitur pede, iussa sed vrgent.
Extemplò nostri, Assyrium procul agnita postquàm
Aduentare cohors, vrbiq; propinqua tenere,
Dum dubitant incerti, acies an tota sequatur,
Connitiq; velit, portasq; reuellere ferro,
Arma citi expediunt, telisq; frequentibus aptam
Instruxere manum, seq; extra parua ferebant
Mœnia, nec sæuos hostes accedere passi
Proturbant nixi coniectis eminùs armis.
Sed non Assyrijs suadet tentare duelli
Imparitas aleam, neque talia iussa tulere;
Sat reuocare gradum: confestim brachia trunco
Arboris excisæ iuuenem liquere reuinctum,
Corripiuntq; fugam; conuersus cum tamèn vnus
Haud siluit. pulchram vos certè ex agmine laudem
Quæritis, Isacidæ, tenui; sperate cateruæ

Mox aderunt æquæ, nec pugnæ còpia deerit.
Armis intereà fortem hunc adiungite veſtris.
Bethulidæ miro capti nouitatis amore
Accurrunt, raptumq; iugis in mœnia ducunt.
Hic varij ſenſus animis, variuſque per ora
Rumor ijt, ſtudio volitat gens tota videndi;
Ipſi primores, quæ ſit ſors aſpera capto,
Scire inhiant, metuuntq; dolos: mœſtiſſimus ille
Lumina circumagit, lachrymisq́; ita cœpit obortis.
Quid vos, Iſacidæ, miſeri nouiſſe iuuabit
Ærumnas hominis? ſatis hoc, quòd cernitis hoſtem;
Sumite iam meritas inimico è ſanguine pœnas;
Nam quid adhuc ſperare licet? me vota meorum
Exagitant, veſtroque reum pro nomine damnant.
Quid ſtatis? tædet Cœlum, lucemq; tueri.
Tum verò cauſas ardent exquirere luctus,
Fortunasq;, genusq́; viri; poſcentibus ille
Paruit, & repetit proprios ab origine caſus;
Addit & Aſſyrius quantis exercitus armis
Horreat, immanemq́; Ducem, & crudelia dicit
Agmina. Si bellum tali cum gente gerendum
Sumitis, & pectus victricia fertis in arma,
Heu tædet fari, ſed habebunt fortè ſalutem,
Quæ memoro; euerſas aras, incenſaq; tecta
Aſpicio, latèque trucem dominarier ignem,
Et veſtra immiti transfigi pectora ferro.
Nec mora, cras aderunt, noua lux feret aurea vento

Signa, nec antiquos permittent classica somnos.
Quarè agitè (ignoto, & misero si credere dignum est)
Ne Medis conferte manus, neu fidite bello,
Sed pacem orate, ac foedus sancite volentes.
Sic hostis vestras accedet mitior arces,
Nec ferro inuadet, Regi si ponitis aras.
Hæc ait, ambiguusq; animi, quò se sua vertant
Expectat fata, & quæ sit sententia nostris.
Formidant illi, gelidusq; per ima recursat
Ossa timor, quid iusta Dei desideret ira,
Incerti, ac Coelum votis, fletuq; fatigant.
At vincla Ozias (afflatu Numinis alti
Illum sensit enim haud simulata mente locutum)
Extemplò tolli iubet, atque hæc addidit ore.
At nostris optem pedibus, quæcumq; sequantur,
Eripiat tellus se se, atq; in Tartara trudat
Antè, Deum quàm deserere, & pia sacra velimus.
Ipse aderit, certamq; manu dabit ipse salutem.
Pone metum, iuuenis, nec magni dona Tonantis
Despice, delapsamq; Polo complectere lucem;
Eijce mente Deos, insanaq; thura relinque.
Nulla salus lapidum, nec ligni numen, & auri est;
Quem colimus, Deus, ille Deus, quemq; inscius ornas
Laudibus, ecce tibi se se fert obuius vltrò;
Ex hoc iam populi pars non eris vltima nostri.
Sic loquitur, verbisq; virum solatur amicis.
Ceu flores, quos læsit hyems, aut Solis iniqui
Æstus

Æstus agit, colla attollunt, campoq; resurgunt,
Vt roris sensere vicem; non aduena curas
Lenijt in gentes aliter, fletumq; repressit.
Dein generi adscribi nostro, si regna tuemur,
Pollicitus, tectis, ac mensa exceptus amicè est
Ab Duce, & insomnem saturant multa prece noctem.
Intereà campo Assyrius collecta patenti
Arma recensebat Princeps, atq; ordine longo
Pergere spectabat diuersis agmina signis.
Ipse loco, solioq; omnes supereminet aureo,
Cui via per centum pictis illusa tapetis
Facta gradus, caput assurgunt vmbracula suprà
Gemmea, tum dextra hastati, læuaq; frequentes
Stipantur latè, custodia fida, manipli.
Forsàn auus tali cum maiestate sedebat
Contemptor superum Nembrothus, & improba sæuo
Iura dabat populo, scelerataq; bella iubebat,
Cum primum regno telis ingressus iniquis
Afflectare viam Martem sub signa coëgit,
Nec timuit saxis tentare audacibus astra.
Non ego si totum fando dimetiar aurei
Solis iter, possim magnas æquore cateruas.
Primus agit castris è fortibus agmina Torgus,
Qui quondam ante alios acer, nunc maximus annis,
Verùm habilis, nec lenta viro, frigensq; senectus.
Non fuit hoc domitor præstantior vllus equorum;
Egregiam his operam prima nauasse iuuenta
Dici-

Dicitur, aut celeri vellet ſubmittere curru
Colla ſuperborum, atque iugo fera nectere duro;
Aut equiti æripedem frænantibus ora lupatis
Subdere, cum cœpit ſe noſcere; verbera diſcit
Ille pati, & greſſus patulum rotat acer in orbem,
Compoſitisq; leues irritat calcibus auras;
Nec datur vlla quies, donec palantia bello
Signa fugat, victumq; ſonans terit vngula campum,
Hinnituq; ferox, & abacto naribus igni
Fulgura ſuccenſi, tonitruq; imitatur Olympi.
Aſt vbi virtuti maturior adfuit ætas,
Cura data eſt turmas equitum deducere Torgo,
Conſilijsq; valet: non multo cingitur ęre
Miles, & auerſis gaudet certare ſagittis
Parthus; habet pretium pugnax fuga, fictaq; gentis
Formido volucris; ſonat arcus, & ærea caſſis,
Ac teneris durant artus ad bella ſub annis.
Continuò ſequitur, quæ ſydera verberat haſtis,
Perſarum numeroſa phalanx, & pondere ferri
Atteritur, criſtatus apex, lateriq; recuruus
Dependet gladius, phaleris armantur ahenis
Pectus equi, frontemq; feram, dux agminis Vsbo,
Cui genus egregium materna, paupere patre,
Nobilitate fuit, ſpreto patre, Sole creatum
Propterea iactat ſe ſe, ac de ſemine diuùm.
Sole micant ſigna auricomo, pulchramq; parentem
Cernuus Vsbonis reflexa luce coronat.

Haud

Haud illo quiſquam fuluo magis enitet auro,
Flammiferiſque rotis imitatur Solis honores.
Dein Graius patria profugus, celſiſq; Mycœnis
Suſpicione graui, Danaum quòd venderet vrbes,
Callidus antè alios Theramas, fraudumq; magiſter
Excit ab Euphratis ripis, & flumine magno,
Chaldæum in primis genus, & Babylonis iniquæ,
Sexcentum lectos equites, atque ære coruſcos,
Chaldæam indutus chlamydem, ſed cætera Graius,
Et criſtas capiti, & patrium lateri alligat enſem.
Prætendunt ſigna Herculeum (quippe Hercule ab ipſo
Prædicat antiqua ſe ductum ſtirpe) Leonem
Inuictis manibus, fato & victoris aheno
Fruſtrà luctantem, mortiq; in morte minantem.
Proximus inſignis genere, atq; acerrimus armis,
Aurea nec melius cuiquam rubet ore iuuenta,
Accedit Dorcas, acies quem regia bello
Proſequitur, cuncti Heroes, & lumina Martis,
Diuerſiſq; orbis delecti è partibus omnes.
Ille tamen graditur tacito mœſtiſſimus ore
(Demens, fœmineas famæ qui præferat vlnas)
Silicet Euricalen pulchram, & florentibus annis,
Coniugiumq; recens Ocho mandante reliquit
Inuitus; chlamys Aſſyrios ſpirabat odores
Coniugis egregiæ donum, & monumenta dolentis,
Ac tenero flauos vellentis vertice crines:
Infert ſe hos inter, clarum quibus emicat agmen
Hinc

Hinc Cedraſtus Arabs, quem nemo corporis æquat
Viribus, aut curſu rapidas præteruolet auras,
Aut Vrſum ſternat, ſeu preſſa fauce leonem.
Ille etiam Ægyptum domuit, Phariosq́; rebelles
Nupèr, & adiectis titulis Ægyptius Heros
Dicitur. hinc ſolis pulchra ſatus Abride ſyluis,
Abride, quæ Albani ſcelerati filia regis,
It Rabus; ipſe pater cum natæ accenſus amore
Scilicet irrueret, virgo ſub nocte ſilenti
Effugit, nemore & furtim ſe ſe abdidit alto
Canthoris auxilijs, patriſq; incepta fefellit:
Canthoris inde toros non aſpernata iugales
Hunc tulit, exilij, & luctus ſolatia longi.
It bellator Ider valida fortiſſimus haſta,
Murorumq; metus Dodras, germana propago
Auruntis Perſæ, curis quæ incedit eiſdem.
Sunt alij, quos haud noſtrum numerare, celebri
Inſignes fama, & generis ſplendore ſuperbi.
Quò me adeò rapitis noſtri decus, altaq; ſecli
Gloria, vos nullo morituræ Heroides æuo,
Si non ignaræ veri, experteſq; ſalutis
Thura laboratis accenderetis Idolis?
Gaudet Amazonidum Regina ferocibus alis,
Aſſyrioq; volens iungit ſocia arma Tyranno
Harpalice; in medijs Venerem ſi quęritis iris,
Bellipotens eadem, atq; eadem pulcherrima Virgo eſt.
Non illa, vt ſexus mos eſt illius, ad vſus
Dege-

Degeneres demissa manum, molliq; Hymenæum
Custodirè toro, & resides habitare penates
Assueta; at campos percurrere Martis apertos,
Atq; acies regere, & pictis splendescere in armis
Virgini erant artes; studiumq; æquare labores;
Et famam Heroum, tum dicere iura subactis
Æqua foro gestit populis, ac figere leges.
Hic verò ancipitem quassabat læua bipennem;
Virgineumq; latus sociç de more sonanti
Castigant pharetra, componunt ære capillos;
Sub non exerto pendet ferus vbere mucro;
Cornipedumq; citæ dorso portantur equorum;
Et palla ad suras altè deuincta fluebat.
Magna tibi hinc belli moles, multumq; cauendum
Militia ex bifida, cum lumine captus; & ore
Vim demum, & curas dextra experiare viriles.

Nec vos præteream populi, qui ditia regna
Auroræ incolitis, Gangemq; hauritis; & Indum
Hic aliud genus est belli; atq; simillima monstro
Militia, Eoum multus firmauerat agmen
Quippè Elephas, tergo & cuneos gestabat, & arces
Pinnatas, iaculisq; instructas; credere quisquam
Ire vrbes poterat, tanta se mole ferebant.
Arduus it, longèq; humero superemiinet omnes
Indus Amalcanes; legio cui maxima paret.
Rex idem, ac Regi socius dudùm additus Ocho.
Hic sinè relligione, aspernatorq; Deorum,

Atq; hominum nulla formidine flectitur, armis
Arrogat omnia, nec leges supèr accipit vllas,
Immaniq; instar procedit pectore nemo.
Non hic auxilio Persis venturus in arma,
Vt mos Eoùm, tumulo Brachmanas in Indo
Consuluit, belloque supèr responsa rogauit.
Atria tum coëunt proceres in magna frequentes;
Sublimis, mediusq; sedet grandęuus Iarchas
(Summa superstitio) & scelerata oracula promit.
Aureus huic lateri squammis horrebat ahenis
Thorax, & colubrum referebat imagine dirum.
Ast apicem galeæ Solis tenet vnica cura
Nescia mortis auis gemmato discolor auro,
Seu fastu, seu quod perhibet iactantior Indus
Non Arabum, vt fama est, regnis, tractuq; Sabæo,
Sed regione sua, primiq; sub ostia Solis
Phœnicem vitæ memorem, formæq; futuræ
Expletis annis animata morte renasci.
Vndiq; odoratos nimirum congerit ignes,
Atraq; fœcundo condemnat membra sepulchro,
Idq; poli cineri præstant, vt vita superstes
In vili seruetur humo, vermisq; renatus
Ludificet Parcas, redimatq; à morte volucrem.
Iamq; illa ad Solem plumas explorat adultas
Æmula, & ardenti redimit diademate frontem.
Maior turba virum, quam possim æquare loquendo,
It pedes, & latè campis incedit iniquis,

Centum ductores, centenum mille sequuntur
Quemq; habiles bello; veniunt mollissima pascit
Quos Niniue, ac tellus quos circumfusa creauit,
Medorumq; ingens numerus; qui Caspia sulcant.
Æquora, qui Tygrim potant, iuxtaq́, Niphaten
Tecta colunt; it nudus Arabs, felicia regna,
Quà fluctus inter geminos, pontumq; bicornem
Semper vernat humus, tenerosq; effundit odores,
Et pingues casias, & stacten parturit arbos.
Procedunt simùl innumeri, quos littora mittunt
Persica, non aptum bellis, & inutile vulgus,
Sed pelago assuetum rapere, atq; abducere prædas;
Fallereq; haud illis æquum, aut curatur iniquum.
Agmen agit Phorcus, quo non insignior alter
Aut versare dolos, aut aurum auertere furto.
Ducit & Ægyptum magnam, pharetrisq́; sonantem
Niliacis Cencres à faucibus vsq; Syenem,
It signum bello bos, & latrator Anubis.
Ipse augur Cencres trepidantia consulit exta,
Atq; auium obseruat cantus, plumamq; volantem;
Coeca superstitio terras illata per omnes
Heu nimium, nec quondam orbi non indita nostro.
Ille simul Cœlo per noctem lumina figit
(Vana fides) Lunæq; vias, & sydera seruat,
Rimaturq; vices, quando pestemq; famemque
Horribilem, ac dirum portendant ignea bellum,
Et regum cædes, fœdataq́; sanguine claustra.

Ponè instar nimbi subeunt victa agmina nuper
Ammonidùm, multusq; Moab, quos pulcher Orontes
Irrorat, Lybico nec deerat miles ab Austro.
Non adeò super vllus erat, noxq; atra cadebat,
Cum solio exurgens densis comitantibus armis,
Infert se medium gemmis, ostroq; superbus
Abdarides albis remeans in castra quadrigis;
Ingens seruorum it numerus, generosaq; circum
Arma gerit pubes, galeam tenet ille comantem,
Cuius apex Vrsam frangentem hastilia gestat
Morsibus, & grauidas voluentem sanguine luces,
Ille hastam, clypeumq;, atq; intonsus Dorilus ensem;
Præcedunt vacui æripedes, quorum optimus ille,
Deliciumq; Ducis, quem magni munere regis
Accepit, gaudet partu natura venusto.
Hic olim rapido natiuum flumine Tygrim
Tranauit catulus, nec summas diffidit vndas;
Dein miro gens illa feri correpta decore
Admisit regis stabulis, atque addidit armis.
Luxuriant per colla iubæ, quatit ardua ceruix
Condensos imbres crispæ niuis, atq; cruento
Ore vomens spumas hinnitu prouocat auras,
Nec facilis sessorem, excepto corpore herili,
Accipit, & sparsa in ventos exultat arena.
Postera sole dies terras redeunte tenebat,
Tum castra auertunt, omnisq; Orientis opimi
Procedit legio campis, dat buccina signum;

Arma

Arma micant, ludunt blandis insignia ventis.
Quales ardenti condensæ æstate locustæ
Eripiunt oculis sata pinguia, & omnia vastant;
Esuriem tereti solatur glande colonus.
Tales incedunt Persæ, tantisq; feruntur
Agminibus, fama anteuolat, famæ additus ipse,
Nuntio certa meis; turbatisq; impiger adsum.
Interea in montem, qui plurimus imminet vrbi,
Nomine quam dicunt Dothaim, venere cateruæ
Planitie ex ampla, vicinaq; saxa tenebant.
Hic nouus attonitos ferijt formidine terror,
Namq; vrbes, & regna rotis aduecta subibant;
Barbaricæ portantur opes; exercitus alter
Institui (tanta referunt se mole) videtur.
Iamq; adeò media patulum conualle relicta
Inuenere locùm castris; omnesq; parabant
Auxilij prohibere vias, & cingere vallo.
Hi fossas nixi fodiunt, hi mœnia ducunt
Ardua, constituuntq; fores, & machina summis
Æquatur stellis, ac propugnacula surgunt.
Pars fossa tellure manu tentoria figunt,
Ædificantq; domos, decus, & solatia fessis.
Præcludunt aditus alij, & custode coronant.
Diuiditur pugnax opera in fabrilia vulgus.
Nos cinere inspersi superum socia arma precamur,
Telaque corripimus properi, durosq; tenemus
Anfractus, alij muros, arcemq; tueri;

Cun-

Cuncta timor miſcet, nullam dat cura quietem.
Ipſe quoq; Aſſyrium dum coeptis obuius obſto,
Vix lethum effugi, & perculſus vulnere ceſſi,
Ibat Holophernes Vrbis munimina circum,
Exeſiq; iugum ſaxi luſtrabat, & arcem;
Tum purum aſpexit laticem, riuisq; fluentem
Ductilibus, tepidos quà flatus accipit Auſtri.
Bethuliæ, atq; ſinu placido ſicca arua rigantem;
Illo quippè ſitim ſuerant reſtinguere fonte
Indigenæ, ac duri lenire incommoda belli.
Diuidi Holophernes riuos, amnemq; ſecari,
Et ſpargi in valles, ac noto flectier alueo
Imperat; Aſſyrij parent, mora tollitur omnis;
Nec prohibent noſtri rem, nec prohibere poteſtas.
Iamq; dies adeò proceſſerat vnus, & alter,
Nos verò iuſſa immanis contemnimus Ochi,
Nam de natiuis manabant fontibus vndæ
Haud procul à muris, nec potus cura premebat
Cætera ſecuros, cum murum imperuia ſaxi
Muniret moles, adituq; pateret iniquo.
Fortè Riphax infenſa aderat de ſtirpe Moabi
Syluicola, agreſtem duris in montibus ipſa
A prima vitam ſolitus ductare iuuenta.
Non ille abruptas cautes, & peruia nulli
Saxa timet, quales pendent è rupe capellę,
Hunc videas errare iugo, atq; illudere morti.
Offert Abdaridi ſe ſe hic, dein talibus infit.

Accipe, Dux magne Aſſyrium, quæ conſcius vltrò
Polliceor, neuè illa meo tu deſpice ab ore;
Præruptos qua parte vides ſe attollere montes,
Exitiumq́; loci præceps natura minatur,
Securi potum veniunt, muriſq; vaganrur
Egreſsi Iſacidæ, vidi matreſq; viroſq;,
Tanquàm de ſpecula niſus contemnere noſtros.
Si libet, acceſſumq; ſinis tentare per vmbras
Difficilem, ſummo iuuenes in vertice ſiſtam,
Qui inuadant Vrbem, aut ſaltem de fontibus vndas
Vitales haurire vetent; egò ſaxa notaui
Nuper, circumeo dum murum, & ſingula luſtro,
Quà pateant aditus, miles tentare laborem
Ni renuat. tales ſæuus dedit ille loquelas.
Annuit Aſſyrium domitor, lectoſq; locuto
Adiungit comites; illi ſub nocte ſopora
Scuta ligant, gladioſq; habiles, humeroq; reponunt,
Ac tuto ſuperant tum palma, tum pede nixi
Aſcenſu ſilices, aditum monſtrante Riphace.
Iamq; inimica phalanx in rupem euaſerat altam;
Continuò tela ex humeris, Martemq; reuinctum
Expediunt, tacitumq; parant inuadere limen:
Ecce autem aggreſſos cuſtodia fida fefellit,
Reiecitq; viros, ac vertere terga coëgit
Præcipites, donec vires ſunt hoſtibus auctæ
Armorum numero, & ſociorum mole nouorum;
Fit via vi, validiq; inſtant, fontemq; viciſſim

Armati

Armati vigiles centeni quinque tuentur.
Hinc animos verti cœptum est, neq; fidere rebus
Bethulidæ, velùt antè, suis, atq; omnium egere;
In primis bacchata sitis, seruataq; lymphæ
Stagna cadis, caueisq; modum fecere fluendi;
Seditio exoritur, Iudithain mirus eundi
Cepit amor, præceps Solymas ego mittor ad arces.
Sic memorat, nectitq; moras Ephræmus, amicta
Dum ferro pubes adsit, Phineusq; parari
Mittenda obsessis cerealia munera curet.
At pater Eliachim veniendi munere functo,
Ærumnasq; viæ perpesso, ac talia fato
Donat equum Ephræmo, vegeta cui prima iuuenta
Ora rubent, cursuq; valet preuertere ventos
Arguto crure, atq; angustis ilibus vrgens,
Igneus, impatiens oci, quatit vngue resultans
Puluereum crebro campum, fossaq; frequenti
Signat humum. hic primùm Scythica deductus ab ora
Nimbiferis partu mirando Aquilonibus ortus
Creditur; & generis deflectere ab aëre semen:
Namq; ferunt illic vultus sibi nectere equinos
(Vana superstitio; & stygij dolus improbus Orci)
Nubiuagum Boream, & Veneri seruire furenti
Vere nouo, cum cœcus equas inuaserit ignis.
Huic nostro non more cibus, commixta cruori
Crusta Scythæ fuerunt contusi farris equino
Per gelidas adhibere vias, camposq; niuales,
In-

Instaurant & equis præsentia pabula semper
Ignari stabuli, & nullum præsepe colentes.
Addit equo Senior chlamydis fulgentia dona,
Contexstus, Ægypte, tuos, & signa Canopi,
Quippè ibi diuersis vates diuersa figuris
Sensa notant animi, res rem, non littera signat.
Ecce autem auxilijs aderat iam ritè paratis
Et iam cuncta suo Phineus constare docebat
Otdine; tum numero Eliachim delegit ab omni
Egregium bello iuuenem, formaq́; decorum
Antè alios Ionatham, ducis atq́; insigne superbnm
Tradidit, ac pubi summo præfecit honore.
Tu iuuenes istos acres acerrimus ipse
Duc, ait, ò Ionatha, quàm forti robore, tantus
Consilio; in te spes omnis; tu barbara castra,
Quamuis tota chalybs, totus simul adforet orbis,
Ne timeas; Deus, & virtus sunt omnia bello.
His animum dictis alacrem inflammauit amore
Complexus placidè, fulgentemq; insupèr ensem
Donat habere viro, quo non præstantior alter,
Atq́;. grauem adiungit galeam, cristisq; rubentem.
Miratur ferrum iuuenis, vitandaq́; nulli
Vulnera, miratur spirantem casside pubem
Fatidica, & docto surgentes ære figuras.
Tum cœpit. Quandò, alme pater, me munere tanto
Prouehis, ecqui sunt, oro, quorum inclyta fulgent
Hic facta, & signis galeam radiantibus ornant?

Namq; equidem haud tales memini me noſcere caſus.
Dixerat, ecce autem diuina luce repentè
Afflatus mentem Eliachim reſponſa ferebat.
Macte animo, nate, hos ſtimulos tibi mittit Olympus;
Non hic maiores, proauitaque geſta recenſes,
Sed nondum Heroas genitos, decora alta Syonis,
Aſpicis, ac proprios oculis percurris honores;
Quandoquidem tua progenies hæc omnis, & auctor
Effinxit vates venturi conſcius æui,
Et clauſit ſpatijs ſolers opera ardua paruis.
Hæ ſunt res Solymæ, Iudæorumq; triumphi,
Et clades infligendæ Graijſq; Syriſq;,
Illo nam rerum potientur tempore Graij.
Hunc nè vides, cui dira furor malus inficit ora?
Rex eſt Ægypto Romanis pulſus ab armis,
Propterea in noſtros conuertit flammeus iras.
Aſpice tollentem leges, ritumq; ſacrorum,
Fœdantemq; pias templi venerabilis aras;
Iſacidas cogi diuina faceſſere ſaxis,
Atq; adeò vetita per legem veſcier eſca
Aſpice: tum ſenior magnus parere negabit,
Suppliciumq; vltrò confeſtim immane ſubibit;
Ille quidem crebris miſerantum interritus, ardens
Haud cedit precibus, nec vitam fraude tuetur,
Et famæ accepto ſupremæ conſulit ictu.
Dein ſeptem fratres oculis cum matre ſub ipſis
(Proh quantas illi flammas, & verbera paſſi)
An-

Antiochi se se pro relligione vouebunt.
Nec dum ille adspectat manantes corpore vermes.
At Dijs suppliciter flectentem, ac thure litantem
Ecce Matathias, (hic primus, nate, tuorum est,
Qui sceleri occurrit) ciuem mucrone trucidat,
Immanemq; Syrum, crimen qui turpe iubebit.
Spes oblata bonis duce demum, ac patre reperto est.
Hunc vita excipiet functum, & sceptra aurea sumet
Natorum Iudas fortissimus,, àrmaq; cogens
Aduersas acies nec vi, nec molibus ęquus
Fundet humi; quater ille suos in prœlia ducet
Collatis ausus campo confligere signis,
Vlcisciq, Deum, quater (admirabile dictu)
Victor ab aduerso clarum feret orbe triumphum.
Hic & Apolloni caput auferet; agmine Seron
Quassato fugiet, fractus conuersa Nicanor
(Nomina quæ hostiles inter metuenda cateruas)
Terga dabit; Græcos fors indignata relinquet:
Nec iuuenis patrij non regni, & nominis hæres
Orabit pacem, licèt illi militet omnis
Collectis Oriens, Auroraque discolor armis.
At Iudas vltus leges, & sacra Tonantis
Templum instaurabit superis, aramque locabit
Ingentem, & vallo pulchram circumdabit arcem;
Multa boum puri mactabunt corpora patres;
Isacidas socios conscribent ære Quirites.
Res etiam Iudæ collapsas morte leuabit

Germanus Ionathas, murosq; arcesq; nouabit
Pacatus; post auxilio, studijsq; fouebit
Iactantem iuuenem, genus, & sua regna petentem;
Ille sacra gratus vitta donabit amicum,
Nec non purpureo decorabit victor amictu.
Rebus mutatis, & rege hostilia ferro
Agmina prosternet, dein rursum pace reperta
Egregio Ionathas seruabit milite regem,
Confligetq; iterum victor, regnumq; vetabit
Affectare ferox obiecta mole Tryphonem.
Hàc quoq; desertus rem sustinet, & fugat hostem.
In libertatem priscam sub rege benigno
Vindicat ecce Simon populum, iugaq; eripit arte:
Tum primum haud Graijs parere, aut iue talenta
Pendere; conspicuas etiam de marmore viuo
Germanis tumuli moles, patriq; locabit.
At nato adijciet superata Hircania nomen.
Dein alius titulos, regisq; insignia primus
Induet, ingentum & renouabit iura parentum.
Talibus hærebat, mirisq; intenta tenebat
Lumina muneribus Ionathas, gratesq; ferebat.
Nec mora, sollicitum iuuenis mouet igneus agmen.
Qualis abit pulcher taurus, turmamq; virentem
In campum ducit, niueæ quem fortè iuuencæ
Vrit amor, pariterq; accensum fertur in hostem
Exultans, hinc percussi palearibus armi,
Frons inde attollit se se ardua, cornibus auras
Pro-

Prouocat, & bifido volucrem pede ſpargit arenam.
Haud ſecùs ardeſcit Ionathas, ſeq; arduus infert.
It comes Ephræmus nota regione viarum;
Fauſta rogant Solymi; Senior ieiunia mandat.






IIII

IVDITHAE VINDICIS

Liber Quartus.



ARTE alia legati aderant, & dona ferebant
Sulussæ Nomadum regis, castrisque recepti
Assyrijs, magniq; alto munimine valli
Orabant veniam, pacisq; imponere leges
Tergemini cultu, & peregrinæ vestis amictu
Spectandi, insignes opibus, famaque parentum,
Supplicibusq; oleæ præcincti tempora ramis.
Ibant stipati famulis ad limina centum
Regia barbarica chlamydem ferrugine pictis,
Postquam introgressi, & fandi concessa potestas,
Degeneri curæ incumbens, & mollior igni
Illos Assyrium Dux sede excepit ab alta.
Tum flexo Numidæ venerantur poplite regem,
Massulesq; potens dicendi ita farier orsus.
E Lybia, & penè extremis è partibus orbis;
Quà calidis tellus afflatur fertilis Austris,
Nos ad te, Princeps, Nomadum Rex magnus iniqua
Emensos maria, & diuersis casibus actos,
Queis tamèn empta benè est oris præsentia tanti,
Ire iubet, vastique manum venerarier Orbis.

Vi-

Victricem; ingenti quando correptus amore
Persarum augusti Regis, summasq; patentis
Imperij miratus opes, famamq; Tyranni,
Inuictamq; tuam virtutem, ac robur in armis,
Et nomen quod iam factis se se æquat Olympo,
Pacem orat, seq; ipse tibi, suaq; exhibet vltrò,
Pax rebus, bellumuè cadat, mandatq; perrenem
Accipere, ac præstare fidem, & coniungere dextras,
Seraq; perpetuum firmari in sæcula fœdus,
Huius amicitiæ non te fortasse pigebit,
Sunt olli reges famuli, sunt oppida forti
Plurima capta manu, paret Getulus, & omnis
Massylùm regio, nat vastis æquore classis
Puppibus, atq; infecti auri, factiq; talenta
Sunt multa, & bello floret delecta iuuentus;
Si libeat, non indecores, nec inutile vulgus,
Hos poteris socios bellacibus addere Persis.
Intereà Regi, quò nos tendemus, & ipsum
Suppliciter iussi donis venerabimur amplis,
Instituet sacra Assyrio, pendetq; quotannis.
Auri magna volens inscripti pondera centum,
Et consanguineæ persoluet debita genti.
Quandoquidem genus hinc nostrum, & natalis origo,
Et sumus antiquùm vestro de sanguine creti;
Nam victa Hesperia, cæsoq; tricorpore rege
Cum pater Alcides populis stipatus Eois
Occiduis olim remeans de finibus iret,

Has

Has ſedes legere ſibi, Nomadeſq; vocati
Sunt patres, cepitq; lubens terra hoſpita Perſas.
Nunc quoq; facta manent tantorum, ac nomen auorũ,
Famaq; perpetuis deſcribitur alta ſepulchris.
Hoc etiam meritis, Ductor fortiſſime, veſtris
Additur, hoc pacem Perſarum ab Rege rogamus.
Talia Maſſules fatus; dein pocula magno
Aurea bina Duci donant, quibus arduus Atlas
Enitet, atq; humero fulgentia ſuſtinet aſtra;
Tum draco, & Heſperidum rutilant poma aurea ſeptiŝ.
Hic etiam dat facta manu Tirynthius Heros
Eximia, Herculeiq; micant multa arte labores.
Addunt loricam, galeamq;, atq; ærea ſcuti
Texta auro parte ex omni radiantia fuluo,
Tutamenq;, decusq; viro, ſi prælia poſcant,
Nec dictu facilem, Mauruſia tegmina, veſtem.
Dona manu verſant Perſæ, ac mirantur honorem.
Nulla tamen mouere auidas magè munera mentes,
Quàm gemini iuuenes, captiuaq; corpora bina,
Suluſſa euicto pridem quæ ceperat hoſte
(Machlyas appellant patrio cognomine gentem).
Hi ſexu gaudent ab origine ſtirpis vtroq;,
Semiuiriq; ſinu, nàm maſcula dextra, ſiniſtrum
Fœmineo ſed læua latus grauat vbere mamma,
Inſigni, Aſſyrijsq; ignoto obtutibus antè
Spectaclo explebant oculos, monſtroq; trahebant.
Pectora nudi ambo, tùm barbara veſtis vtriq;

 Præci-

Præcipitat se se ad suras, lambitq; cothurnos.
Abdarides donis, dictisq; intentus amicis
Legatos placidè amplectens hæc reddidit ore.
Fecit perpetuò quod se fecisse iuuabit,
Rex vester, nec mente dies hoc auferet vlla
Officium, Numidæ, mansuro foedere quippè
Ipse in amicitiam coëo, sociosq; saluto,
Et iam nunc pacis do certa in pignora dextram.
Ad regem verò, quem regna immensa verentur,
Templaq; constituunt, cumulantq; altaria donis,
Dimittam egregiè, & comites abeuntibus addam;
Ne qua viæ officiant variorum errore locorum.
Ille Deum os, humeros referens parère volentes
Excipiet facilis, dominique admittere vestri
Obsequium haud renuet; quin vos in regna, domosq;
Donatos largè patrias, lætosque remittet.
Intereà hospitijs, iuuenes, succedite nostris,
Et fessos artus placida curate quiete.
Vix ea dicta dedit, cum se malè sanus ab amplo
Consessu eripuit populi moderator Eoi:
Scilicèt infando iampridèm saucius ictu
Haud sufferre valet, ferus ossibus æstuat ignis;
Sunt olli antè oculos semper mirandaq; formæ
Gratia, nec voces non blanda in verba solutæ:
Protinùs, vt nullam capto dat flamma quietem,
Se partes rapit in varias, ac tota pererrat
Castra mali impatiens; si fas lenire furorem

Vadendo, qualis magicis corrupta venenis
It fera, vel qualis pastus mala gramina taurus;
Ille quidem latè syluis fugit æger opacis
Nequicquàm, sæuit miserum sub pectore virus:
Interdum solo in thalamo se se abdit, & omnem
Conspectum fugit, & curis immobilis hæret;
Nil decus egregium belli, nil turpis amantem
Fama mouet, totum tenet importuna libido:
Sic leo, cui magnos dudum furor igneus artus
Corripuit, sensimq; domat, non vasta peragrat
Arua ferox, sed cum gemitu pendentibus ægro
Solus pumicei sub rupibus accubat antri;
Pascitur in latis agris secura iuuenca:
Ipse etiam totis exercitus ocia campis
Fœda terit, nulli pugnę sub pectore cura est,
Nec pudet eximijs nil famam extendere factis,
Nec premere Isacidam, ac regnum ditione tenere.
Dudùm cœpta silent opera interrupta, nec vllæ
Assurgunt moles, solus mouet arma Cupido.
Tempus erat, quo Sol nostris auersus ab oris
Flectit equos procul, & iaculis fugientia terga
Autumni figit cristati doctor Achillis,
Et populatur agros, ac syluis demit honorem.
Et iam contractum iuuenis venatibus æquo
Exercet sub Sole diem; & squallentia raucis
Arua terit canibus, longaq; ambage viarum
Persequitur leporem, figitue interritus aprum.

Tecta senex colit, & gaudet iam frigidus igni,
Dum ludunt gremio pueri, paruumq; nepotem
Ante focum pleno festiua alit vbere nutrix.
Iamq; adeò per inane dies se quartus agebat,
Ex quo Bethuliam turbauit inutilis armis
Diffidens populus, veniamque ab rege petendam
Obtinuit, mediumq; viæ dimensus Apollo
Auricomus liquidas pingebat clariùs auras.
Intereà latè castris effusa iuuentus
Pars vino indulgent, nec non crateras ahenos
Vertunt, pars dulci curas auertere somno,
Non alij ludo parcunt, ac tempora fallunt,
Immemores; vacui languent in puluere currus.
At non Assyrius, belli cui summa potestas
Lætitiæ vacat, aut somno deponit amorem,
Sed gemitum ciet, atque imo suspiria corde
Ingeminat; veluti sonitum dat spumeus amnis
Ære cauo inclusus, cum sæua incen[illegible] subter
Stridunt, & mittit Vulcanus ad astra fauillam.
Tum Bagoam aggreditur. Mẽtis pars maxima nostræ,
Haud æquum est tibi crudelem celare dolorem,
Qui me iamdudùm exagitat, tu fortè furentem
Vidisti, & miserum penetrasti in pectore vulnus.
Heù quantos ignes hæc nobis subijcit hospes,
Quæ flammæ absumunt animam; nil tale (fatebor)
Postquam prima dies liquidis me prodidit auris;
Sensi equidem, specie nec flecti posse verebar;
Nunc

Nunc cedo, ſuperet certè, ſpoliumq; Cupido
Egregium templi ſumma ad faſtigia figat.
Tunè vides, quæ vis oculis? qui greſſus eunti?
Quales purpureo diffundat ab ore loquelas?
Quem pigeat tanta vinci, ni ſolus amorem
Oderit, aut pudeat victum virtute fateri?
Vel Dea, crede mihi, eſt, vel ſanguinis vna Dearum.
Nunc tu, per ſi qua eſt pietas, quæ plurima tecum eſt,
Nec fortè haud merui, noſtro ſuccurre labori,
Tantum oro, tibi Iudithæ cuſtodia curæ,
Te facilè alloquitur, tu tenta corda precando,
Pollicitis ſuade, cauſasq; haud deſine amandi
Nectere; quid neget hìc vlti ò captiua virago?
Quæ patriam prodit, curabit nè illa pudorem?
Affer opem, noſtra incumbit ſpes te omnis in vno.
Sic rogat, amplexusq; hominẽ pro munere habendo
Spondet opes largè, & ſeruilia pectora mulcet.
Quid non cogit Amor? vix appellare ſuperbos
Abdarides proceres, ſummoque aſſurgere Regi,
Aſper, acerba tuens, & non placabilis vlli.
Nunc vbi ſenſus hebet, premiturq; cupidine coeca,
Haud famuli pudet, & tantùm non pronus adorat.
Non ſiluit Bagoas, & contrà talibus infit.
Vidi equidem immanes animo tibi ſurgere curas
Nec venit in mentem, quæ te crudelis inire
Pernicies poſſet; nunc quando, maximè Ductor,
Te quoque percuſſit formoſæ Cypridis Ales,

Hoc vno mecum domini ſolabor amores,
Quod forma, & tantis virtutibus Iſacis aucta eſt,
Vt tibi non æſtus huius ſit fama pudori.
Nunc mandare tuum eſt, me fas (abſiſte precari)
Iuſſa ſequi, Dominoque alacrem parere merenti.
Tu mihi prima ſalus, tu ſummos mitis honores
Largiris, videorq; aliquis tecum eſſe Deorum.
Accipe nunc, quænam ſubitò ſententia nobis
Inſurgat, nec verba nega demittere in aures
Ipſe intentatum nil linquam, animumque mouebo
Lenibus alloquijs, adituq; haud vtar iniquo
Tempore correpto fandi, meus iſte labor ſit:
Tu tamen intereà, quando fortuna ſalutem
Attulit, hoſpitibus largas ſub veſpere menſas
Apponi, & noſtra acciri de gente iubeto
Egregios ſimul Heroas, ſimùl ipſe vocabo
Iuditham, & luxu audebo prætendere tædas;
Haud decus abnuerit, ni ſęua eſt mente virago.
Quinetiam ad victum latarum copia rerum
Deficit, & vacuo ſquallent ieiunia diſco.
Indè epulæ, Bacchi & liquor, interiectaq; cœnæ
Carmina ſuadebunt, magno ne pugnet amori,
Atque lubens Domini contingat ſerua cubile.
Tum victor fuere, & placitis ne parce Hymenæis.
Annuit Aſſyrius monitis (cuſtodia Regis
Ætherei vetuit, ne quid violentia magni
Conaretur heri, Bagoaſque haud ſæua ſuperbo
Con-

Consilia instrueret) nec non conuiuia luxu
Institui iubet ingenti, mentemq; resumit.
Horrificum sicut residet mare, & alta quierunt
Æquora, cum venti fugiunt, ac tristis Orion
Noctem, hyememq; trahens, & Cœlo inuecta sereno
Pura dies rebus deiectum reddit honorem.
Haud secùs Abdarides Pharij sermone leuatus
Et tristes animos, & vultus exuit ægros.
Nec mora, festinant famuli, mensasq; reponunt,
Accelerantq; dapes; centum strauere iuuencos,
Centum lanigero raptos ex vbere fœtus,
Dantq; auium immensam stragem, quæsitaq; syluis
Fercula disponunt, verubusq; insecta refigunt.
Ipsæ iam teretes hastæ, iam mollibus enses
Obliti bellum dapibus seruire parandis
Lætantur, factoq; (nefas) mitescere turpi;
It Bacchus castris, & cœci mater Amoris
Rectores, ignesq; tegunt, & fumus Olympum.
Nocturna expectant acciti tempora patres.
Hęc super è muris Hebræi, ac turribus altis
Prospectant dubij, quæ totis gaudia castris,
Quid vè parent, an fortè animos, viresq; refecti
Assyrij sub luce velint pugnare sequenti
Molibus aggressi murum, & quatere ariete portas,
Extremumq; manu contrà tentare laborem.
Iamq; adeò superesse nihil succurrit alendo
Semianimi populo, & pacem, veniamq; precandi
Esse

Esse diem, nondum lucis splendescere quicquam
Tot tenebras inter, nec iter prodesse, nec ausa
Iudithæ, ac multo miscentur moenia luctu.
Tunc Pater omnipotens stellato è vertice mundi
Eoi luxum populi, tristesq; suorum
Spectabat curas, & corda infracta labore,
Cum puer ætheriæ ciuis pulcherrimus arcis
Aureolo intonsus flauentes vertice crines,
Qui genus Abrami, dilectaq; regna tuetur,
Isacidum obsessis remeans de mœnibus ibat
Obsequio alarum; cessit Polus, anxius ille
Hac Regem supplex orauit voce tonantem.
O Pater, ò superumq; hominumq; immẽsa potestas;
Quandoquidem auxilijs cœlestibus arma leuari
Nostra iubes, adsum, atq; æternum Numen adoro;
Scilicèt occiduum in pelagus iam quarta ruit lux,
Ex quo decretum Assyrios admittere muris.
Ni prohibes, proh quanta ferent incendia victis,
Qualia de Cœli nitida spectabimus arce
Seruitia, & cædes, turpèsq; libidinis ausus;
Singula quid memorem? factum cras imminet atrox.
Quinetiam dudùm media inter barbara castra
Gente sub immani fœdo Iuditha periclo
(Nam quò adeò se tanti operis conuiuia vertant?)
Subiacet; an sobolem, tua quæ tot dicta per annos,
Oblitus tandem, Pater, es, nec pignora curas?
Certè hanc exiguis vexisti ad sydera natam
Prin-

Principijs, summaq; in maiestate locasti,
Æternum imperium, æterni gestamina sceptri
Pollicitus; certè casum miseratus iniquum
Bethuliæ pridem sine re, sine fruge salutem
Annueras miram populo, dextraq; ferendam
Fœminea; vlla potest sententia vertere mentem?
Ast ipse, infando sceleri cum deditus esset,
Marmoribus cultusq, tuos adhiberet, eundem
Seruasti tamen, & patrio tutatus amore es;
Nunc, quandò iustis vni tibi fidus in aris
Sacra facit, primisq; manum compescit ab actis,
Destitues? nullisq; adeò placabere votis?
Hoc equidem amissos regum solabar honores,
Auectas & opes, captiuaq; colla meorum.
Scilicèt hinc illum seclis voluentibus olim
Adfore sperabam diuino è semine, gentes,
Restituens altè prima collapsa ruina,
Qui regat, & regnum nullis qui terminet annis,
Et famam, legesq; suas, moremq; sacrorum
Vltrà Indum, Gangemq, vltrà, & vasta æquora ponti
Protendat, penetretq; ignotas nomine terras,
Quamquam nulla mihi spem dement dura, nec ipse
Fœdera veridicus frangis, captouè recedis
Consilio, quæ pollicitus, Rex magne, manebunt.
Sic memorat, præsens cum fortè hic substit Ales
Assyrij generis decus, & tutela, precesq;
Principis Hebræi percepit, & auribus hausit;
Nec

Nec mora. Non equidem fratris rationibus obſto
(Excipit) ò bone Rex, tibiq; haud parere recuſo;
Tu tamèn, immerito quamuis, ignoſcere mundo
Non refugis, tibi nec laus vltima parcere iniquis;
Propterea ſeclis mittes voluentibus illum,
Vnus reſtituat prima qui lapſa ruina;
Quarè animas etiam Perſarum, & neſcia veri
Reſpice corda, Pater, queis vitam, animumq; dediſti
Nempè tui ſimilem, atq; æterna ad gaudia natum.
Non peto, vt Iſacidas valeant depellere regno,
Aut delere genus; ſuperent (debetur) amici;
Haud cadit in noſtram talis ſententia mentem:
Sed tantam ſegetem ne Ditis in horrea mittas
Vrendam æternùm coeco crudeliter igni,
Id cupio, id ſupplex te toto pectore poſco,
Neu lethum acceleres, tua donec numina tandem
Noſſe queant, vitæq; capi melioris amore,
Atq; viam affectare Polo, & contendere ad aſtra;
Profuit ambigua non rarò in ſorte morari.
Bethuliæ haud ratio deerit, qua ſoluere poſſis
Obſidium, & manibus Iuditham auferre profanis.
At, Pater, Aſſyrios (dictu miſerabile) nuper
Fulminea tot te dextra fudiſſe memento
Ad Styga compulſos, flammæq; æterna fluenta
Per noctem: Aſſyrij poenas dent ſcilicèt vni?
Sis facilis precor, & præſentibus annue votis.
Hæc ille, hæc Genitor ſedato pectore reddit.

Nulla

Nulla poteſt noſtram ſententia vertere mentem
(Noſtis enim pueri) & priùs ima in Tartara Cœlum
Corruet; ergò animo accipite, & deponite curas,
Tuq́; adeò, Iudæa ſalus cui plurima cordi eſt,
Ne querere hoſtiles dudum impendere phalanges
Bethuliæ; Huic preſſæ dura obſidione ſalutem
Pollicitus caſtris Iuditham illudere Eois
Decreui, haud aliud mutato pectore voluo,
O quanto hæc luctu conuiuia læta rependent
Mane nouo amentes; memorabitur id quoq́; factum
Per populos, ſeriq; ſtupebunt auſa minores.
Macte, meo abſolui facinus de numine cura.
Quinetiam ſperas, neq; ſpes te (abſiſte vereri)
Fallet ab Abrami venturum ſemine, gentes
Qui regat, & regnum nullo qui terminet æuo
Diuinum genus, & mea ſumma, & ſola voluptas;
Certè aderit, certè, vt pluuius de nubibus humor,
Manabit niueum in vellus, lucemq; ſub ipſam
Auroræ in teneras vt ros delabitur herbas,
Deſcendet, dioſq; oculis prætendet honores.
Tempeſtate illa deſertas vndiq; terras
Ridere, ac læto plauſu loca ſola ſonare
Aſpicies, Mars, & bellum delebitur orbe
Et pax tranquillos populos ſecura tenebit,
Mucronemq́; opifex in curuum finget aratrum,
Et verſa in falcem curabit lancea meſſem.
Aſt ætas hunc firma virum cum fecerit, & ſe

Per medias gentes feret, ac dabit ore loquelas,
Tunc saliet, cursu & poterit præuertere ceruos
Claudus, & arentes in verba sonantia soluent
Hi linguas, illi coecas liquisse tenebras
Gaudebunt, tandemq; data res luce tueri:
Audire hinc alij poterunt, auresq; patebunt
Præclusæ, atq; iterum defuncta cadauera Solem
Spectabunt; sed enim stygijs infensa cateruis
Cum vita occumbet, parietq; in morte salutem,
Probraq; erunt decori, melior nascetur imago
Tùm rerum, æternùmq; colent secla aurea terras;
Quippè meo generi super & sola cuncta, superq;
Æquoris vndosi tractus, coelumq; beatum
Imperium immortale dedi, nullamq; tenebit
Regnandi metam, & populos simul inferet astris,
Iustitiaq; latus præcinget, baltheus olli
Cana fides, penitusq; animas rimatus apertas
Ius dicet, priscaq; ruet vestigia fraudis.
Ille doli, scelerumq; faber deiectus Olympo,
Qui laxis bacchatur humi metuendus habenis,
In loca foeta malis, atra squallentia nocte
Ibit in æternum præceps, centumq; premetur
Indignans nodis, nec regnum proferet vltrà,
Ad te nunc, qui castra foues aduersa, reuertor.
Si genus hoc vlla sub tempestate viderem
Id fore, criminibus saturum quod deniq; foedis
Abstineat, mundiq; Patrem cognoscere discat,

Haud

Haud frustra orares, summa est mihi parcere cura:
Sed quid sperandum? vel quæ meliora profanis
Expectemus ab his, scelerato sacra tyranno
Qui faciunt, nostrasque aras, & nomina nostra
Omnibus inuadunt opibus? num Persica tela
Opperiare Polo, & permittas sontibus astra?
Assyrij poenas vni dant, scilicèt vni
Crebriùs in nostram surgunt legemq; genusq;
Quarè agè, ne nostris, ne nate, obsistere perge
Imperijs, neu te pigeat cecidisse merentes,
Non deerunt, qui sacrilego pietatis amantes,
Succedant generi, & conscendant astra nepotes.
Sic ait, & finem tremefacto rebus Olympo
Hunc statuit Pater omnipotens: diuina quiescunt
Aligeri ad mandata, pares virtutibus ambo,
Luce pares, nempè à Superis discordia campis
Exulat, & reditum nequiquam affectat ad astra.
Ipse Hebræorum descendit ab æthere victor
Princeps, & iuxtà comitantem ex agmine pulchro
Alloquitur puerum. Si fas, discrimine tanto
Te socium optarim, generis lux maxima nostri,
Hùc ades, hoc tibi erit non vilis gloria facto;
Quippè ego dum reliquis insudo rebus, & ipsi
Foemineo lateri, atq; obsessis moenibus adsto,
Abs te quid cupiam, mentem hùc aduerte, recludam.
Mox cum purpureo, procedet vesper Olympo,
Humentemq; polo tellus insperserit vmbram,
Iu-

Iudithæ Aſſyrius miſero correptus amore
Dux oratores Numidas, belliq; magiſtros
Perſarum primos epulis iam ritè paratis
Expleri dabit, & menſis accumbere opimis,
Illa aderit ſimulans, premet altas pectore curas.
Vadè agè nunc ergo, ac tellurem labere ſubter,
Infandosq; lacus, & regna horrentia quære,
Lethæus quà latè ingens immurmurat amnis,
Illic per ripas, interq, papauera dulci,
Inuenies Somnum ſopitum membra quiete;
Hunc cape, pulſatumq; adeò de ſedibus atris
Erue, ni facias, nunquam, tarduſue ſequetur,
Atq, afferre iube cognati fluminis vndam
Aſſyriùm intrà caſtra, ſoporiferumq, liquorem;
Tum Baccho, & pateris latè exitiale venenum
Miſceat, & miſerum ſpargat per vina ſoporem.
Quæ deindè eueniant, curare haùd temporis huius,
Hoc inſtat nunc, tu volucrem, puer, arripe curſum,
Vnum oro, noſtrisq; celer ſuccurre periclis.
Dixerat: is roſeo contrà ſic excipit ore.
Immò ego ſollicitus veſtris me adiungere rebus
Optabam dudum, nunc quandò nota voluntas
Eſt tua, parce puer precibus, mandata capeſſo.
Conticuit, ſocio & celeri parere volatu
Feſtinat, liquidasq; fuga præteruolat auras,
Et ſubit obſcurum terræ, caueasq; latentes
Ingreſſus primùm fluuiorum, ignotaq; Nili
Princi-

Principia, & cunas, fumantibus inde caminis
Argentumq; aurumq;, & ſtagna liquentia ferri
Vaſta videt, ſtudiumq; hominum execratur inane,
Talia qui terra, & tetra caligine merſa
Veſtigant, putribusq; inhiant diteſcere rebus.
Ventum erat ad limen, graditur nil ſegnior ille,
Squallentesq; domos Herebi, ſemperq; carentes.
Luce locos adit, & furuum tenet aureus Orcum.
Hinc via diuiditur duplex, & ſemita calles
Partitur geminos, fert læua Acherontis ad amnem,
Cocitiq; ſinum, Phlegetontaq;, ſulphure fumant
Horrendo loca, nec requies datur vlla malorum.
Hìc animæ ſontes, crimen quæ triſte piare
Abnuerant, vana ſeu religione Deorum,
Siuè odijs preſſæ expletis, fuſoq; cruore,
Et quas infanda dulcedine cœca voluptas
Impulit in ſcelus, & maculare aliena ſubegit
Hoſpitia, inſontisq; torum violare mariti,
Gauiſæ aut furto ſunt, nec dum vita manebat,
Pertæſum eſt culpæ, metis ſinè temporis vllis
Durùm exercentur pœnis, pars vnguibus artus
Vncis diripitur, pars flammis acribus vſta
Taurinis piceas mugitibus incitat auras,
Hi feruent ære impoſiti, calidisq; coquuntur
Fluctibus, aſt alij ſubiecto ad lumina collo
Frigenti mulctantur aqua, gelidoq; premuntur
Flumine, fœda manus circùm, formæq; pererrant
Horri-

Horribiles, ſtimulantq; ignes, & verbera donant.
Hìc & qui terras humano ſanguine primus
Tinxit, & in fratrem docuit ſæuire minores,
Æſtuat, atq; auſi ſuperos imponere contra
Saxum immane ſolo, turrimq; attollere ad aſtra,
Torquentur, dux antè alios Nembrothus in imo
Tunditur, & magni dat poenas impius auſi,
Quem moles ſuper impoſitæ, & pro crimine ſaxi
Saxa premunt, premitur vox, & ſub pondere anhelat.
Spirat adhùc ignem Pharao, vultuq; minatur
Horrifico, Iſacidas qualis, Moſenq; ſecutus;
Intereà iactatur aquis, & ſulphure fœdo
Mergitur: hic & Achab crepitante exuritur igni;
Nec procùl infandæ coniux ſæuiſſima culpæ
Supplicia exhaurit, raptisq; affligitur agris;
Innumeriq, luunt pœnas, capita ardua quondam,
Nunc turba infelix, ſpretum, execrabile vulgus.
Fortunati inopes, rerum quos nulla fluentum
Cura premit, nec amor ſtimulat malè ſuadus habendi;
Palla ſed ſciſſa fulgent, & ſimplice cruſta
Gaudent, ac tecto quærunt ſub purpure regnum;
Illis non luxus miſero mutabitur igni
Ambroſia ętheria ſaturis, & nectare puro,
Non hæc pro auratis horrentia clauſtra ſubibunt.

At dextram tenuere boni, pars ignea cuius,
Scilicèt infletis acies vbi plurima culpis
Relliquias ſcelerum, leuia & commiſſa piare

Con-

Consueuit flammis; sæuos spes mitigat ignes.
Pars autem impatiens pœnarum, expersq; doloris,
Florentes luci, nec non mollissima Tempe
Haud procùl, & sedes intacto vere patescunt.
Hic animæ insontes habitant, sanctoq; fruuntur
Elysio (sinus Abrami cognomine dictus)
Iam quæ principiò recta venere relicto
Corpore culparum exortes, quam carcere ductæ
Contiguo, & mediæ flammis lustralibus oræ
Temperiem nixæ in placidam; simul atq; piarant
Hæ labem; quippè hæc alacres loca læta subibant,
Donèc ab æterno promissus Numine Vindex
Adforet, & clausi seras laxaret Auerni,
Inferretq; Polo socios. sermonibus illi
O quibus exilij fallebant tædia longi;
Carmina venturo quæ non humana canebant
Ardentes Regi, conuexaq; mente petebant.
Hic gemini patres humanæ stirpis origo,
Hic demissa neci soboles, & victor aquarum
Vitisator, simùl Abramus, simùl ordine longo
Abrami genus innumerum, vatesq; sedebant,
Moses antè alios, cani Samuelis imago
Proxima, tum Dauid cythara donatus olympi.
Intereà aligeræ labuntur ab æthere mentes,
Solanturq; moras, & diæ lucis amorem.
Nec minus ad Lethen iuuenis demissus ab alto,
Vt propiùs stetit; alloquio compellat amicos

Præcipiti, mulcetq; animos, factiq; propinqui
Summa legit capita; & ventis velocior exit.
Illo autem auertente pedem, & ſpatia ampla ſecante,
Pollice percuſſit chordas, qui regia vates
Sceptra tulit, dum vita fuit; vocemq́;, animumq́;
Multa Deo plenus cecinit, dixitq; futura.
Salue, magna virùm domitrix, quam Rector Olympi
Dat regum præſtare armis, lateq́; patentem
Auroram premere, atq́; orbem ſub ſigna coactum;
Fortunata nimis, neq; enim ſine laude Tonantis
Eximia factum hoc adeò, & tua fama feretur,
Quà Sol cumq́; micat, rutilo dum ſydera cœlo
Labentur, dum Luna ſuum vaga circuet orbem,
Grandiaq; attoniti celebrabunt auſa nepotes.
Iamque adeò noſtræ laudes, atq; inclyta facta,
Magnorumq; tuis concedant nomina regum.
Tempus erit, quando tantæ virtutis amore
Incenſus Vates Muſarum haud vltima cura,
Patre Atheſi vates ſatus, & Benacidè Nympha,
Magnanimum iuxtà Tyberim, ſacroq; ſuperbum
Imperio, & latè cœloq́; Hereboq́; verendo,
Te canat, & curis interdum ereptus iniquis
Geſta peregrinis mandet tua fortia chartis,
Ac ſtimulet reſides animos, & inertia corda,
Scilicèt vt tandem memores virtutis auitæ,
Atq́; tui in primis auſus exempla ſecuti,
Compoſitis poſtquam rebus pax aurea reges
Le-

Lenierit dono Diuùm, & Patris arte Latini,
Ipsi opibus simùl vnanimes, & fœdere iuncti
Acceptis inhient extingui dedecus armis,
Et ditem Ægyptum, ac Solymùm pulcherrima regna
Connixi eripiant vinclis, duroq; Tyranni
Seruitio, effoetum senio qui deniq; mundum
Viribus inuadet vastis, lateq; tenebit
Littora, vę nimium Latijs vicina colonis,
Et suspirata dent libertate potiri,
Sacraq; restituant, arasq; ac vota reponant.
Illum non Bactra excipiant, non vltima Thule,
Sed coniuratæ depellant vndiq; gentes,
Crudeles vt nuda manus post terga reuinctus
Spectetur celebres Capitoli implere triumphos,
Vindicibus pœnas nec non persoluere flagris.
Te decus hoc, speciesq; olim Pater Vrbis, & Orbis,
Magne VRBANE, manet, cum tu virtutibus aureo
Fœcundum caput eximijs diademate cinges,
Et per septenos aluearia BARBARA colles
Mella dabunt. te rerum adeò potiente, reducat
Bella licèt Mauors, & ab alpibus inferat arma
Deiecturum vrbes minitans, tamen alta patebit
Ianua tum Sophiæ, atq; atrollet regia Musas,
Quarum laus ingens tute ipse, ornere priusquam
Auro tergemino, Parnasi augebis honores,
Et nostro ætherius plectro lætabere Vates,
Rerum inter curas magnarum, & grandia legum

Pondera, quò interdum raptus super astra quiescas.
At vis consilij tua postquam, & conscia virtus
Æquora trans ponti validis discussa carinis
Bellorum Italia tristes auerterit iras,
Et de barbarico deuexerit orbe triumphum,
Vno tùm populi gaudebunt denique ouili,
Et solo vnanimes sub te Pastore cubabunt.
Hæc prodit, serisq; hilarat successibus aures
Fatidicus Vates, latè loca murmure plaudunt:
Responsant nemora, & vocem docta auia reddunt.
Hos igitur, manesq; inter, qui ad tempora certa
Dant pœnas, medius Lethæus diffluit amnis,
Nec prius egressis igni fas ora videre
Sanctorum heroum, dulcesq; intrare recessus,
Quàm se se abluerint, & lento flumine mergant
Obliti noxas, veterisq; piacula vitæ.
Hos iuxtà latices squallentis margine ripæ
Torpentem de more Puer cœlestis, & omnium
Immemorem reperit Somnum, cui pallida semper
Ora, graues oculi, deses premit ilia penna:
Constitit ille super, neq; segnius excitat vrgens
Cunctantem, lateri & calces elidit inerti.
Surge agè, rumpe moras, non hæc sibi commoda poscit,
Quod gerere est opus, exclamat; dein cornua rore
Lethæo implere, ac virgam deferre iubebat
Somniferam, longè curas quæ auertit iniquas
Amne madens illo, atq; obliuia mentibus infert.

Iamq; iter arripiunt, superas quod ducit ad auras,
Egressi, sed tarda imbuet vestigia Somnus.
Vt fessus sonipes, male sana aut gramina pastus
Lentus agit se se; ac medio cadit aggere, quippè
Ni desertus eques calcaribus vrgeat armos,
Nequicquam patrias properè desiderat ędes.
Haud secùs intonsas stellati citus olympi
Irruit, & comitis capiti crudele minatur.
Iamq; soli convexa tenent, iam moenia tangunt
Castrorum, liquidamq; ferunt in limina mortem,
Ecce sub ingressu portas albere patentes
Respiciunt; dant vina cadis, & pocula ponunt
Ardentes famuli, lychnosq; in sera superbos
Tempora suspendunt; tellus insternitur ostro,
Ipse soporatam Lethæo flumine virgam
Excutit, in plenos arrepto tempore Somnus
Euigilans vtres, miscetq; papauera Baccho.
Miles adest acie ex supera, remq; ordine curat,
Ille autem oblitus ripæq; Herebiq; soporem,
Accipit, & castris medius requiescit in amplis.
Intereà haud Bagoas miseri Ductoris amorum
Immemor affatu molli lenire puellam
Tendebat, sanctumq; animis abolere pudorem.
Virgo genus Diuorum (inquit) per quã aurea nostræ
Secula nunc pubi redierunt æthere, sola
Quid resides? quid te spernentem hæc lumina cerno?
Dulciaq; egregiæ violantem iura iuuentę?

Vita

Vita fugit; generi morientum læta voluptas
Sola bonum, tenero dum gratia ridet in ore,
Nec tenuere niues effœto in vertice crinem.
Aſpice, vt vnius ſpatio roſa pulchra diei
Orta micet, pereatq; eadem, haud ſecùs aureus æui
Flos cadit, & ſpretos nequicquam flemus amores;
Nec te crediderim ſuperos feciſſe beatam
Vni Diua tibi; Solis nitet omnibus aſtrum,
Quarè agè, quæ mentem ſubeat ſententia noſtram,
Percipe. Te totis dudùm ſine lege medullis
Ardet amans Princeps, vultumq; abſentis adorat;
Si libeat, vinclo ſtabili connubia iungam;
Quas (equidem credam) non temnes conſcia tædas,
Et tibi erit curæ thalamum ſubijſſe potentem
Illius, è cuius nutu nunc maximus orbis
Pendet, conſilio quo nemo eſt maior, & armis,
Et claro eximiam ſobolem de Rege referre.
Non titulos, & opes memoro; Regina tenebis
Auroræ thalamos, ſpolijsq; tuebere poſtes
Illuſos, victæq; aderunt cum munere gentes.
Quid dubitas? nec dum tanto, Dea, cedis amori?
Nec tibi quod donum referat fortuna tueris?
Tædarum at ſi pertæſum, quis regibus obſtet?
Sed quid ego cauſas necto, & rationibus vrgeo?
Quis mores, & ſenſa feris aliena nec ipſis
Diuina in forma, pulchroq; in corpore credat?
Id quà confieri poſſit ratione, docebo.

Pacem Oratores Numidarum ab rege precantes.
Abdarides missos, Heroasq; ordine longo
Precepit secum Assyrios accumbere cœnæ;
Iamq; adeò vesper fuscis vocat impiger auris,
Et Cererem posuere, epulisq; onerare ministri
Festinant mensas; hùc te Dux optimus, hùc te
Accersunt cupidi proceres; conuiuia sancto
Coniugio vnanimes generosa ornabitis ambo.
Ergò age carpe viam, & votis, precor, annue nostris,
Atq; animos vultu coràm solare beato:
Et iam Persarum quòd amica ingentibus armis
Fugisti genere à scelerato, hæc premia sume.
Hæc Bagoas, contrà hæc roseis dedit illa labellis.
Ambiguum affectans, sensitq; instare salutem.
O tibi quas, mundi Rector, prò munere grates
Persoluam, mihi qui tantum nil tale merenti
Placasti Heroem? tu custos optime nostri
Communis Domini interpres, decus addite Persis,
Magna refers, tali haud dignam me rebar honore
Ipsa quidem, sed quis renuat, Dominoq; resistat?
Tantis frustra oras, & causas nectis inanes,
Nulla mora in nobis, & iam mandata capessens
Te sequor. ò qualis Iudithæ hinc fama paratur.
Hæc dicens humeros aurato insternit amictu
Insertans ostro suras, festinaq; tecto
Egreditur; stratum Hacidis putat ille pudorem
Arte sua, vanoq; amens exultat honore.

Ceu

Ceu canibus poſtquam iuuenum manus vndiq; cinxit,
Ac telis nemus; & tota quam luce ſecuta eſt,
Incluſit ceruam præda gauiſa propinqua;
Ecce per occultos aditus interrita furtim
Labitur, & longè campum tenet illa patentem,
Armaq;, & illuſam temnit ſecura catervam;
Illi abeunt, diraq; incuſant voce laborem.
Non aliter Bagoam gaudentem, & vana tumentem
Iuditha eluſit, palmaq; fefellit inani.
Protinus imparibus curis in tecta feruntur
Regia, damnantemq; moras, & amore furentem
Inuenere Ducem; placitos vbi fulgere vultus
Ille videt, præſensq; furit crudelius ignis,
Optato cum poſſe frui ſeretur amore,
Lætitiaq; ſtupore ſimul conterritus, amens
Effari nequit, ac trepidat, nec ſe capit ipſe;
Nec iam diuinum patitur præſentis honorem
Frontis in obtutu primo: vir qualis in auras
Eductus, longum latebris, & carcere cœco
Qui iacuit, non ferre diem, Solemq; ſub ipſo
Egreſſu valeat; dat lux inſueta tenebras.
Tandem illam, quicunq; poteſt, aſlatur, & omni
Abdarides colere officio, atq; ornare laborat.
Nec mora, dant manibus lympham, menſasq; coronant
Heroës, ſtrato circum diſcumbitur auro.
Quisnam epulas memoret, maleſani atq; hauſta Lyei
Pocula ab incautis, eadem corrupta iuuentus

Arma mouet castris, dapibusq; epulatur opimis.
Non tamen illa sui, legisq; oblita paternæ
Ora peregrinæ contactu polluit escæ,
Continuitq; manus, & Persas arte fefellit;
Relliquias patriæ Cereris, puriq; liquores
Nam fontis furtim dominæ suggesserat Abra.
Hùc omnes conuersi oculi, Dux vniùs ore
Pendere, ac iuxta positam sine fine pererrat
Luminibus tacitis, & se se in funera mittit.
Sic cantu illectæ volucres, aut farre per herbam
Disposito, pubes quà retia tendit agrestis,
Dum se circumagunt repetito sæpe volatu,
Tandem hærent captæ. Quò te ipse miserrime, resq;
Proijcis Assyrias? quanti (breuis est mora) quanti
Te blandi exortem mercari optaueris ignis.
Hìc noua pro cœnam perituro pestis amanti
Additur, & miserum geminat sub corde furorem;
Namq; Dionæus, peperit quem Gnossia tellus,
Carmina in Isacidis iampridem inuenta ruinam
Dulcè refert, curuiq; eboris fila aurea pulsat.
Vndè Amor exortus memorat, quo tempore lucem
Hauserit, vt fratrem tulerit, quò crescere posset,
Cypria fatidici scitata oracula Phœbi:
Vtq; puer sit mollis Amor, crudelis & idem
Puniat ingratæ passim fastidia mentis.
Addit vim pueri magnam omnipotentis, & vno
Immensam mundi molem consistere Amore,

Atq; elementa modis connubia nectere miris.
Indè facem, ac sæuo flagrantes igne sagittas
Concelebrat, victosq; Deos puerilibus armis,
Et subijsse Iouem nec dignas sæpe figuras.
Quas verò ingeminat labefacta in viscera plagas,
Sanat Hymen frater; pulchræ duo lumina vitæ.
Improbe Amor, quid non cogas hominesq;, Deosq;?
Immemoresq; sui quoties facis? attamen vno
Te sinè dulce nihil, tu pulchræ pacis amicus
Immanes animos media inter proelia placas,
Et iuuenum flectis rigidas ad vota puellas.
Hymen ades, prolemq; ferat Cytheræa beatam.
Sic canit, & cytharæ digitos catus admouet aureæ;
Pulsa sonant castra è plausu, vallesq; resultant,
Et Mars Assyrius sub molli carmine languet.
Iamq; adeò expleti dapibus, mensasq; mouebant.
Grandis erat patera antè alias, atq; aspera signis
Ex auro solido moles, regalia dona;
Hìc Persæ imperium primi, atq; horrentia bella
Egregius præclara opifex cælauerat arte.
Vidisses puerum eiectum canis vbera blandæ
Sugere per syluas, nec non crescentibus annis
Pręcingi telis, seq; in sua regna referre;
At qui terga prius dederant cita turpitèr hosti,
Persæ, conuersis abolebant dedecus armis;
Vrgebant calidæ nudato pectore matres.
Hinc fluuium multo mittebat in æquora cornu
Scin-

Scindens, & lautas inter Babylonia mensas
In septa insiliens per aperti gurgitis alueum
Regem obtruncabat, cui lapsus ab æthere durum
Scribebat digitus lasciuo in pariete carmen.
Hinc ditem Cræsum, atq; vrbes vastabat opimas;
Regia iam grandis soboles (mirabile dictu)
Non audita prius promebat verba timore.
Felix ille quidem, sua si connubia tantùm
Despecta vlturus nunquam tranasset Araxem;
Namq; cadebat humi cęsus, regione locorum
Deceptus, famulæq; acies (dux fœmina) fusæ.
Illa caput victi mersabat sanguine regis.
Craterem hunc adeò (sedenim sæpè alta malorum
Indicia occurrunt, nec mens insana mouetur)
Abdarides multo spumantem munere Bacchi
Accipiens, Vos nostro (inquit) vos addite voto,
Assyrij, Persæq; omnes, tibi, maxime Diuùm,
Hanc pateram libo, Assyriæ dominator opimæ,
Tu modò, si tecum hoc aliqua pietate meremur,
Hanc noctem hospitibus nostris, nobisq; beatam
Annue. Sic memorans hausit, seq; abdidit auro;
Excipiunt alij circum, regemq; sequuntur,
Et medicata vorant Lethæo flumine vina.
Pulchra velut taurorum acies, florentia prata
Cum tondet, quà se tulerat sæuissimus anguis.
Et malè sana suæ vestigia liquerat iræ,
Nescia fallaces auidis depascitur herbas

Morſibus, atq; famem ſaturat moritura veneno.
Sic Perſæ ignari fraudum ſua fata bibebant;
Nec iam vlli mentem vinum, ſomnuſq; reli nquit,
Excedunt alacres, & claudunt oſtia ſerui.
Ipſa manet ſola in thalamis Iuditha Tyranni,
Veſtibulum nutrix incerto pectore ſeruat.
Nox erat, & furuo tenebrarum horrebat amictu
Curriculo in medio properans; non verba, nec vllus
Senſus erat rerum, aut operoſi induſtria mundi:
Omne adeò pecudumq; genus, genus atq; volucrum
Quæ fluuios, quę ſtagna tenent, potumq; fouebant
Corpora tum ſomno vires, curisq; ſoluta
Carpebant dulcem mortalia corda ſoporem,
In caſtris nullæ excubiæ, paſsimq; voluti
Per terram Perſæ vino, ſomnoq; iacebant;
Abdaridem longè antè alios vix artubus auream
Exutum chlamydem, nec iam præſentis amorum
Hebrææ memorem ſtratis placidiſſima pictis
Obruerat requies, feſſumq; profunda tenebat.
Illa vigil mente excutitur, ſubitumq; calorem
Accipit, ac ſibi cum ſentit iam cuncta fauere,
Accingit ſe ſe, nec quicquam incenſa moratur.
Tu mihi quę facilis noſtris ab origine cœptis
Hebrçæ adſpiras lux ò clariſsima gentis,
Nunc adeò, cum mirum, ingens, memorabile factum
Aggredior tuum, & horret mens, refugitq; tremiſcens,
Diua, faue, & vatem ſummo ne deſere curſu,

Hic labor, hinc operi quærenda eſt gloria noſtro.
Principiò magni ſupplex Iuditha Tonantis
Auxilium implorat, lachrymisq; per ora volutis
Effatur. Nunc tempus adeſt, nunc fortibus auſis
Acritèr eſt tentanda ſalus, tu maxime rerum
Conditor, affer opem famulæ, dextramq; trementem
Confirma, & ſummis conatibus adijce vires.
Tu qui paſtoris pueri, ferroq; carentis
In formidandum direxti ſaxa gigantem,
Qui Ionathæ auxilio ſubijſti, deniq; dextras
Fœmineas etiam palmæ dignatus honore es,
Mecum eſto, colloq; caput depone ſuperbum
Prædonis Perſæ. calido ſic corde precatur.
Tùm ferijt noua lux oculos, ſubitoq́; per auras;
Quæ primos operis Iudithæ afflauit amores,
Nata Deo Virtus auratis emicat alis.
Agnoſcit iubar Hebræa, auxiliumq́; Tonantis,
Atq; nouas ſentit venis incedere vires.
Protinùs ornata teneros exuta lacertos
Purpureo latè circùm per ſingula voluit
Ardentes oculos, & regem lumine luſtrat
Ille iacet (neq; enim vinum exuperare poteſtas)
Exanimi ſimilis, ſomnoq; immobilis hæret.
Fortè tori Princeps habilem ſuſpenderat enſem
Aſſyrius lateri, ac iuxtà de more locarat,
Vt ſi quid ferret nox contra, vmbræq; ſilentes,
Arma citus caperet, trepidoſq; eluderet hoſtes.

Hunc

Hunc illa inſpectum, atq; animo ſecum ante paratum,
Omnia poſtquàm tuta videt, radiantibus auro
Eripiens vinclis vagina educit eburna;
Tùm pallens, paulumq́; animo, dextraq; morata
Ingens expendit facinus; mox obice rupto
Ira ſubit, fit tota calor, læuaq; iacentis
Implicuit crinem, dein Cœlo lumina figens,
Hanc tibi ſumme animam nunc ò, nũc, Rector Olympi
Immolo (ait) pœnasq́; inimico è ſanguine ſumo.
Dixit, & exemplò magna vi interrita collum
Vulnerat aduerſum, repetito, & Principis ictu
Aufert nixa caput; minus ille in morte mouetur,
Quàm ſi dura ſilex eſſet, percuſſauè quercus,
Spiritus infernas deſcendit mœſtus ad vmbras.
Sic terror tantus nuper terræq́;, marisq́,
Conuulſus iacet, atq; ſuo ſe ſanguine mergit
Infelix truncus, neq́; plus quàm foemina facti
Auctor, nec validæ poſſunt prohibere phalanges;
Hic finis menſæ, ac ſperato factus amori eſt.
Bellatrix, vbi ſe palma, prædaq; potitam,
Et pendere ſua magni caput aſpicit hoſtis
Exanimum læua, tepidis miſerabile corpus
Continuò inuoluit ſtratis, enſemq; reponit
Sanguineum, & palmas ad ſydera tollit adorans.
Intereà rimis dominæ ſpectauerat Abra
Auſum ingens, mortemq; viri, atq; exterrita diro
Crebriùs aſpectu horruerat; nunc ſe rapit amens
Læti-

Lætitia in thalamum, victriciq; oscula figit,
Persoluitq; Deo grates; tum sedibus altis
Erip iunt pictum gemmis velamen, & auro,
Et capiti obtendunt exsecto, ac pelle reponunt
Taurina, qua dona tulit cerealia nutrix,
Atq; iter egressæ celerant; it pallida ceruix
Bellatoris, anumq; ingenti pondere curuat;
Et quà se ferre ad fontem Iuditha solebat
Noctibus in medijs, precibusq; onerabat Olympum,
Circuit, & patrijs properat se reddere muris.
Intereà cuncta explorat, tensisq; mouetur
Auribus, atq; sonos formidat cautiùs omnes,
Ne pateant, neuè obsit onus, prodatq; fugaces;
Et quam nulla modò castrorum ostenta, nec vllæ
Terruerant acies, nunc omnis sibilus auræ
Excitat, & gnaram patrati commouet ausi.
Non secùs, Hircanæ catulos qui Tigridis atro
Surripuit nido, mater dum quæritat escam
Per syluas, impletq; recentibus vbera prædis
Hunc omnes terrent sonitus, huic spiritus omnis
Corda quatit, semperq; sequentem ponè parentem
Formidat, pœnasq; timet, mortemq; propinquam.
Apparent densi posita ceruice manipli
Per terram passim, versoq; hastilia ferro,
Ensesq; galeæq; virùm, cristæq; rubentes;
Nemo vigil, totis miranda silentia castris;
Illa nihil, nec spe prædæ, famæuè mouetur,

Assy-

Assyrijsq; procul, tùm nota valle relicta
Secura in montem sublustri nocte recedit.



IV-




V
Ant. Tempesta In.
Valerianus Regnartius sc.

IVDITHAE VINDICIS

Liber Quintus.


AMQ; propinquabant vrbi murisq; videri
De summis poterant ambæ, Latonia qualis
Pallet in incertis per nubem Luna tenebris.
Attonitis hæsere animis formidine primo
Aspectu vigiles, gelidusq; per ossa cucurrit
Cuiq; tremor, neq; enim poterant agnoscere vultus,
Atq; vmbras tantùm, simulacra ignota, videbant.
Abner erat portæ custos, summisq; sedebat
Aggeribus, speculaq; locum seruabat ab alta
Quàm præstans forma iuuenis, tàm fortis in armis.
Hic geminas primus vidit, longèq; retexit
Nescius, ac ne quid per noctem fraudibus hostis
Tentaret, veritus, socium his compellat Abellum.
Vera nè conspicio? an fallor? se ad mœnia raptant
Nostra duo; seù sint soli, siuè agmina secum
Fortè trahant, timeo insidias, & si quid ab hoste est,
Haud hosti credo. procerum tu perfer ad aures,
Quicquid id est, cursuq; viam metire volucri,
Ipse hac euentum obseruans statione manebo.
Dixerat, ille volat; patres ad moenia tendunt

Confestim moniti; tota discurritur vrbe.
Intereà Hebrææ celeri vicina tenebant
Ascensu geminæ, & gradientes nouerat Abner;
Ni pateant, saxo calamum torsisset ab alto
Egregius certa plagas inferre sagitta,
Et quæ tuta modo sæuo conuixerat hosti,
Exuuiasq; adeò tulerat, nunc saucia vitam
Ciuibus in medijs dextra fudisset amica.
Restitit is dubiusq; animi, trepidusq; futuri,
Cunctaturq; inhians operis cognoscere finem.
Iuditha, vt sentit se posse patescere notis,
Audiriq; valent voces, atq; aggere reddi,
Continuò exclamat. Vos ò recludere portas
Ne dubitate, viri, nihil hic hostile timendum est;
Adsum, nec dubiam refero Iuditha salutem.
Vix effata, fores panduntur, vertice namq;
Omnia discendi studio descenderat Abner,
Et Solem sera reducem sub nocte videbat.
Extemplò totam veris rumoribus vrbem
Fama replet, neptemq; canit Simeonis adesse.
Festinant, vulgusq; vijs fluit vndiq; plenis.
Qualis ad occiduos portus cum nauis Eoo
Sospes ab Oceano patrijs se reddidit oris,
Concursus volitat, conduntur littora cœtu.
Tale erat Isacidum studium, talesq; ruebant;
Nam neq; Iuditham fuerat spes vlla videndi
Vlteriùs, reditusq; animum, sermoq, puellæ
Ad-

Addit; vbiq; faces , & noctem lumina vincunt .
Occurrunt primi proceres , atq; arbiter ipſe
Ozias , alacres , & feſta voce ſalutant,
Illa in conuentu medio , quà forte repertus
Telluris tumulus , ſtetit altior , atq; ita gentem
Alloquitur cupidam . Fuimus crudelibus Ochi
In Caſtris Ciues , quorum terrore fathiſcit
Orbis iam totus, ſed nobis adſtitit alti
Tutamen Cœli , & telorum haud obfuit horror .
Scilicèt hoc alta fixum cum mente ſederet ,
Infandas homini populus ne poneret aras ,
Iuſſerit & ſummis caput obiectare periclis ,
Auertit Deus ipſe malum , & procùl omne repreſſit
Dedecus, atq; adeò ſceleratæ opprobria gentis ,
Geſtaq; fœminea fieri dedit inclyta dextra.
Quod vos ne lateat, ſpes & cognoſcere veſtras,
Delatosq́; mihi à ſuperis poſſitis honores ,
Et dignas pro mole operis perſoluere grates ,
Ecce caput (caput horrificum ſimùl illa retexit
Auulſum ex humeris , & nigras ſanguine fauces)
Ductoris Perſæ , qui terras improbus omnes
Terruit , & cunctos fœdauit cęde penates ;
Auſusq́ue etiam ſuperis indicere bellum
In nos immenſis conuertit viribus orbem
Poenas poſcentem , atq; aris extrema minantem .
Hunc mihi placatum verbis , & amore furentem ,
Cum noſtri ſpolium ſperaret turpe pudoris ,

Subiecit pater omnipotens, & nocte ſub alta
Ad ſtygios ignes ſomno, vinoq́; ſepultum
Mittendum dedit hac dextra; iacet ardua moles
Immanis trunci ſtratis, fœdumq; cadauer,
Nemo vigil, nullæ excubiæ, tenet omnia ſomnus.
Hoc etiam gemmis rutilum velamen, & auro,
Vltima barbaricæ miſero veſtigia pompæ,
Eripui, teſtemq́; fero. nunc tollere gentis
Obſidium duræ, finemq; afferre labori
In veſtra nullo, ciues, diſcrimine dextra
Eſt poſitum, ſic certa tuli præſagia coelo;
Et iam nox fugit, & rutilans Aurora propinquat.
Ceruicem hanc igitur conto præfigite, & altis,
Vndè procul pateat, muris pendere iubete;
Nec mora, fidentes animi, nil tale verentem
In Perſam irruite, & generi ne parcite iniquo;
Illum terror aget palantem, atque ætheris alti
Cuncta manus dabit in veſtras Regnator, & auctor.
Hic fandi finem dedit; illi intenta tenebant
Lumina perculſi monſtro; nam ſicut ab alto
Excutitur ſi quis ſomno, non ille repentè
Percipit hauſta oculis, aut aure, & turbidus hæret.
Haud ſecùs Iſacidas ſtupor occupat; aduena pulſus
Expleri antè alios Achior nequit ipſe tuendo.
Poſtquam animis timor eiectus, ſub ſydera iunctas
Attollunt palmas, nec voci deniq; parcit
Maximus Ozias. Quæ tu Pater optime mundi,
Das

Das generi dona Isacidum, non illa minores
Concipiant animo gentes: cui posse videtur
Fœmina opus tentare manu mollissima tantum?
Nullæ sufficiunt grates, sat victima nulla;
Corda placent, sed magne, tibi. tu celsa Syonis
Gloria, te Gades admirabuntur, & Indus,
Iuditha; ò qui te tantam meruere parentes,
Quàm superis chari. iam nunc tibi cedere sceptra
Nostra decet, nostrum merito tu concipe munus,
Est sceptro satis apta manus, quæ vincere nouit;
Nos tua parentes dicto mandata sequemur.
Hæc ille; oblatum sed non Iuditha capesit
Imperium, & læto persultant omnia plausu.
At caput auricomum Tithoni lutea coniux,
Postquàm ausus tanti nomen peruenit ad aures,
Lætior è stratis tulerat, roseosq; per artus
Fulgentes auro fundebat sedula vestes,
Dum sternunt alij currum, geminiq; parantur
Quadrupedes: aderant Horæ, dominamq; frequentes
Ornabant; stellæq; ad limen penè fugata
Nocte salutantes ibant, veniamq; precantes.
Sed nondum Cœli valuis exibat apertis,
Cum caput Isacidę scelerati regis acutæ
Insertant hastæ, ac summa super arce refigunt.
Extemplò Ozias, Iudithaq; robora pubis
Delecta armari passim, Medumq; ferocem
Opprimere antè iubent, quam somnus deserat artus
Sopi-

Sopitos; nullum pugnæ dat buccina ſignum.
Illi verticibus galeas, nam cætera cingit.
Membra chalybs, aptant, maioraq; viribus auſi
Excedunt, neciam Perſas tentare recuſant
Innumeros pauci, ſed contra immittier orant;
Tantùm victricis confirmant auſa puellę.
Vtq; feræ, quando coelum poſt nubila, & imbres
Reddit ſe pura manifeſtum in luce videndum,
Gauiſæ abſiliunt latebris, Solemq; ſalutant:
Sic illi erumpunt iam libertate recepta.
Dic agè, quas acies contrà, quæ ſigna mouerent
Fulminei proceres Abrami à ſtirpe profecti,
Diua memor, quando immeritos longæua vetuſtas
Nocte premit; nos famam autem ſperemus inertes?
Erumpit florens ætate, & corpore pulchro
Balthaſar ante alios, nulli virtute ſecundus,
Si modò virtuti turmas deduceret æquas;
At verò centum ſolos ad ſigna coëgit
Inſtructos haſtis equites; ſuſpirat euntem
Iam matura viro iuuenem pulcherrima virgo.
Delectos ducit totidem, paribusq; ruentes
In certamen equis de ſanguine Dauidis Eſron,
Clarorum ingentem numerum qui iactat auorum,
Propterea extinctum referunt vexilla leonem;
Nam perhibent regem nondum puerilibus annis
Egreſſum, cum fortè leo ſæuiſſimus agmen
Lanigerum peteret, prædæq; inhiaret opimæ
Hunc

Hunc expirantem flammas, frustràq; furentem
Audaci dextra compressis faucibus atræ
Demisisse neci, spoliumq; insigne tulisse;
Pòst tali auspicio solitum certamen inire.
Hi verò imparibus diuersi comminùs armis
Certant, & claua feriunt, duraue bipenni,
Dependet læua gladius de parte recuruus,
Tum reliquus duro fulgens exercitus ære
It pedes; è Solymis primi, fortissima bello
Pectora, pila manu crispant, nec pensile collo
Non cadit in tergum (connectit fibula) scutum.
Hos regit Abdias lingua bonus, & bonus armis.
Proxima confertis graditur gens curua pharetris
Sub duce Ramesso non parui nominis; ille
Ictu non vnquam torqueret spicula vano,
Et posset cursu celeres præuertere ceruos.
Arcum læua tenet, lethalem dextra sagittam
Gentis habet, galeæq; micant in vertice paruę.
Nec tercenteno Sarchontem milite septum,
Milite, montanis vitam qui durat in agris,
Indictum patiar; ceruicibus arduus ille est
Suprà omnes, vultuq; truci festinat in hostem,
A quo se arceri fuerat sæpè aggere questus.
Hic latum pectus triplici circumdat amictu
Loricæ, & longa armatur trabe dextera, quam vix
Ferre duo possent subiecto corpora collo.
At gens illa graui contortis funibus ictu

Pars lapides iacit, & plumbi pars impete glandes
Ingenti, telumq; manu pars missile librat.
Tùm bello assuetus nondum, sed clarus auito
Sanguine, diues opum, viridi fretusq; iuuenta
Lazarus incedit, Bethanenq; in prælia ducit.
Hinc series ducta Heroum ditione prementum
Egregiam pulchra Bethanen, geminæq; sorores
Altrices Regis superum tellure latentis;
Altera, delicias, vitæq; prioris amorem
Quæ damnans, & fusa leues per colla capillos
Diuinas lachrymis inter conuiuia plantas
Abluit, abstersitq; comis, sortemq; secuta.
Supremam Domini nec dura in morte recessit;
Nec non è gelida reuocatus mole sepulchri
Lazarus antiquo deductum nomen ab illo.
Indigenis summum claudebat Ioiadus agmen,
Ioiadus hortator belli, pacemq; volentum
Conspirans nulli, & prius omnia ferre paratus.
Sic tenuis muris exercitus ibat ab altis.
Quales multa boum se contrà armenta leones
Securi referunt pauci, certiq; futuræ
Exardent prædæ; in Persas it talis Iudas;
Cuiq; micant oculis accensi ex acribus ignes.
Iuditha in portis animos secura salutis
Adijcit, & quemque appellat, memoratq; parentum
Facta, dehinc fessas matres, & debile vulgus
Læta voce vocat, cœloq; indicit honores,

Astraq;

Astraq; solicitis onerat sublimia votis.
Principiò angustos aditus, obsessaq́; Medis
Ora, simùl fontes cæso custode recludunt
Nacti securos, Hebræa nec antè videntes
Spicula, quàm iugulis hausissent fixa cruentis.
Vt ventum est, tenues vbi fas disponere turmas,
Excipere vt quæuis rerum discrimina possint,
Ipse aciem patulis extendit latiùs agris
Impiger Ozias; medium tenet optimus æquor
Abdias, & picta comes fert Lazarus arma;
Quisq; pedes, quisquis iaculis armatur, & arcu,
Missilibusq; ferit, medium confertur in agmen,
At dextra, læuaq́; latus legionis vtrumq́;
Claudit eques, lateq; leues citus explicat alas.
Ipse alta de parte, queat Dux vnde v[illegible]ri,
Lætitia fusus vultum, sic voce profat.
Inceditq́; animos dictis, & pectora fir[illegible]t.
Vicimus, ò socij, dubio victoria bello
Haud quærenda modo; nos hoc duce Numine ab ausu
Juditha absoluit; iacet hostis, & omnia secum
Inclinata tulit, fluitant sola turpia tabo.
At nunc relliquias sceleris delere nefandas,
Atq; orbem aduersum stygias detrudere ad vmbras;
Scilicèt hoc vestrum est, manet hæc vos deniq; fama.
Et iam tot pubem telis extrema minantem
(Nec fallent mea dicta fidem) fiducia liquit,
Eripuitq; Deus gelida formidine mentem.

Eſt conſanguineus morti ſopor, ecce premantur
Quanta illi requie, quam certa ſilentia caſtris.
Quin vos vt primum forti ſecura videbunt
Spargere tela manu, validæq; incumbere pugnæ;
Exanimumq́; Ducem, cuius de lumine pendet
Omnis ſpes belli, non vltima fama recludet
Fœminea iacuiſſe manu, & caput arce pateſcet,
Protinùs infractas acies, & inutile vulgus
Terror aget dare terga fugæ, latebriſq; ſalutem
Quærere, vos vni plagas infligere victis.
Nil inſperandum coelo auſpice, nouimus ipſi
Geſta Palęſtinis toties miracula terris;
Hoc omni noſtris oculis memorabile ſeclo
Aſpicimus, nobis tantorum hæc meta laborum,
Hoc decus, & magnis nomen cum patribus æquat.
Iamq; agite, eiectis dudum vocat hora tenebris,
Aggrediamur, adhùc ſtratos ſopor occupat artus.
Hæc ait; excipiunt alacri fera proelia vultu
Iſacidæ, palmamq́; Ducem ſectantur ad altam.
Haud mora, progreditur fidens, atq́; agmine collem
Diuiſo exuperat, caſtris qui plurimus amplis
Planitie patet in ſumma, quò tempore eodem
Inuadat plures aditus; equitatus in armis
Subſtitit, & vallo abſtinuit, quocumq; cadat res,
Opperiens mandata procùl; iamq; alta tenebant
Oſtia, cum belli Princeps iubet ære canoro
Ardenti ſignum laxari in proelia Marti.

Tum

Tum strepirus simùl exoritur, clamorq; virorum.
Iaddus Idumęos iuxtà satus Ambore fines
Emicat, & primo mucronem sanguine tingit,
Assibarimq; necat somno nil triste timentem,
Surrenam Moses, Abramus sternit Orundum,
Omnes excubias, omnes vigilare paratos,
Si modo Lethæum potuissent pellere morbum.
Occupat ingentem procero corpore portam,
Et vellit postes, aditumq; in limina pandit
Agmina nota vocans accenso lumine Sarchon
Terribilis, socij irrumpunt, telisq; iacentes
Transfodiunt, lethum passim decurrit, & ater
It cruor, & magis, atq; magis iam castra feroces
Inuadunt media Isacidæ, successus alit rem.
Hìc tandem se se miseri sensere sub hoste
Assyrij, ac pulso cladem stupuere sopore;
Arma vocant, arma, arma, virùm ferit aurea clamor
Astra, vagi & coëunt, amissaq; signa requirunt.
Protinùs audito strepitu Phœbeius Vsbo,
Abdaridi infensus primum qui ambibat honorem,
Corripit è stratis artus, atq; æstuat ira;
Tum tecto erumpens totis circundatus armis
Vociferat, verbisq; furens iam incusat apertis.
Heus socij, scorto potitur dux noster, & ipsi
Scilicèt egregio expletur scelerata libido
Nunc, medium insultans valli cum interritus æquor
Hostis habet, strictoque viros mucrone trucidat.

Quin agite, haud somnos securo rumpite dulces;
Sic bellum geritur, norit, quem miserit Ochus.
Talibus indignans fremit, & moriturus in hostes
Præcipitat medios, confertum quà videt agmen;
Telum immane manu crispans, & voce superbus
Increpat. At vobis tanta est fiducia cordi?
Quin magno insultet pariter formica leoni,
Et Iouis aligerum gracili petat ore columba;
Si vobis animus vestris exire cauernis,
In Persas, vile Isacidæ genus; ite, manusq;
Abluite, atq; notas ieiunæ obtendite fronti,
Vana superstitio quæ vos docet; aspera forti
Nostrum bella manu gerere, & splendescere in armis;
Non animus, non vis vobis, ea primaq; sunto
Indicia. hæc latrans telum contorquet in hostes
Sarchontem signans, volat alnus, & ilia subter
E cute vix summa tepidum vorat acta cruorem.
Assurgunt iræ Hebræo, tum conscia virtus
Ardet, vindictæq; amor, & generosa cupido.
Hæc Persis meliùs viles responsa remittunt
Isacidæ, tu dic quorum vis maior in ictu:
Sic ait, auctoriq; inimicum hastile retorquet;
Ecce leues illud stridens, rapidumq; per auras
Effugit in Persæ caua tempora, & arua cerebro
Respergit miseri, confestim turbidus ille
Ad terram ruit, atq; oculis lux alma recedit,
Indignansq; animam vomit, & se se implicat vmbris.

Accurrunt subitò Hebræi, spoliántq; calentem,
Armaq; præfigunt hastis, victoribus omen
Fatalis pugnæ, ac voces ad sydera iactant.
Assyrij contra volitant, densiq; resistunt.
Ramessus, pater Ozias, Sarchonq; minorem
Sustentant aciem, vi summa, hastaq; trabali
Instat postremus, sat prò tot millibus vnus.
Ac velùt ille diù, Thuscis in vallibus vda
Quem sylua eduxit calamis, & dentibus auxit,
Sæuit aper, rapidoq; furens venabula cursu
Proterit, & longè turmas proturbat agrestes.
Haud secus insultat Sarchon formidinis expers,
Et ferit, obtruncatq; viros, tum vulnere multis
Vno aufert animam, cumulatq; cadauera campis.
Ecce autem volat ante alios, cœcusq; furore
Instat Ider, strictoq; intentat funera ferro
Isacidis; prohibent connixi, nec pede cedunt,
Et forti Ozias nulli virtute secundus,
Prætereuntis vbi Russeni in pectore telum
Fregit (eum melius fuerat componere naues)
Vagina eripiens dextram citus impedit ense,
Atq; vno venientem à vertice diuidit ictu.
Succedunt alij pugnæ, Dodrasq; minatur
Fraternam vulturus cædem; sed fratre perempto
Nil melior, nec sorte prior, nam feruidus ille
Aduersi crinem læua implicat, & premit vrgens;
Fatiferum iugulo mucronem suscipit iste;

Et

Et cadit, effugiunt oculi, fratremq; requirunt.
Parte alia pharetram non vanis ictibus auream
Rameſſus iaculis ferus exonerarat acutis.
Arconti, quà ſe vitæ pars ſumma tuetur,
Abdiderat calamum, lumen transfoderat Vrro,
Ac ſtygijs triſtes geminos adiunxerat vmbris,
Illum Arabem, hunc iuxta natum magna oſtia Nili.
Nec non ad Sarimum velox peruenit arundo
Fercula adhùc meditantem animo, neq; tela timentem.
Accepit ferrum ſine ſanguine pinguior aluus,
Nec patrij vlteriùs ſpectauit moenia Nini.
Hæc, & magnanimùm fortiſſima pectora vidit.
Multa virùm cadere, ac nullas errare ſagittas
Indus Amalcanes, nec poſſe obſiſtere Perſas.
Haud mora, non vltrà paſſus procedere morbum,
Infert ſe contrà iuuenem, ſummamq; ſecuti
Percuſſit galeam, & deiecit vertice criſtas.
Inflexit caput Hebræus, tremuitq; ſub ictu,
Et ni ſæua chalybs vetuiſſet vulnera cuſtos,
Rameſſus nitidas non cerneret amplius auras;
Excuſſi manibus nerui, teretesq; ſagittæ
Ad terram fluxere; ferox iterum imminet Indus,
Et ferit, accurrunt Solymi, ſummaq; vetant vi
Continuò, ac denſis proturbant comminus haſtis.
Ille furit, ſimul ira truci ſub corde, dolorq;
Æſtuat, incuſatq; Deos, neq; ſaucius hoſtem
Ereptum patitur. Cœlum ceu taurus in ipſo
Æquo-

Æquore percuſſus caueæ mugitibus implet
Igneus, & contra ferientem in cornua ſurgit,
Ille quidem ſe ſe vlturus, ſed vota retardant
Dira canes, pendentq; acres hinc auribus, atq; hinc.
Tunc magis irarum ardeſcit, ſæuiq; doloris
Depulſo. intereà portas, diuerſaq; rumpit
Prolapſus clauſtra Abdias, quin hìc quoq; Mauors
Caſibus ipſe viam paribus patefecit in hoſtes.
Plurima nobilium capita interiere, nec Orco
Non ruit innumerum vile, ac ſine nomine vulgus;
Claſſe Acherontæam mutauit nauita cymbam.
At neq; Legati Numidæ ſuperante furore
Nulli præuiſam potuere euadere peſtem,
Nec valuere viros populorum iura tueri,
Hoſtis erat, quiſquis mixtus deprenditur hoſti.
Ioiadus, vt fortè irruerat progreſſus in agmen
Fœmineum, quà ſe tuta ſtatione ferebat,
Nulli parcit agens telis, figitq;, metitq;
Virgineoq; vias, & limina ſanguine replet.
Quid ſexus? quid forma iuuat? nil flectitur ille,
Oblita eſt natura ſui, ſola hoſtis imago
Antè oculos graditur, mentemq; accendit ad arma.
Iamq; potens belli Hippolyte, vultuq; decoro
Antè alias cadit, ingreſſu dum diſtinet hoſtem;
Iam Thamyris vitam liquidas emittit in auras,
Reginę ſoror, & ſtultæ deuota Dianæ,
Hæc iaculo traiecta femur, læuam illa papillam,

Et ſuper innumeræ glomerantur Amazones armis
Transfoſſæ, denſaq; oculos ſub nube prementes.
Franguntur gemitus ſtellati in fornice mundi.
Continuò tremefacta nouò fugit ala tumultu.
Regina ad turbas vt non extrema cucurrit
Viginti fidis equitum ſtipata ſuarum;
Miratur ſtragem indignam, ſociasq; tuetur
Exanimes paſſim, & lachrymis miseratur obortis.
Haud ſecùs, ac primo paſtor ſub lumine Solis,
Commerci, aut cœli vitio quà peſtis opimos
Depopulatur agros, ac triſtia funera mittit,
Obſtupet extinctos ouium decreſcere fœtus,
Spem gregis, euentumq; dolet perculſus acerbum.
Harpalices idem aſpectus, ſæuiq; dolores.
Ira ſimul, mixtus pudor, atq; inſania mentem
Exagitat. nùm tanta animis ignauia veſtris?
Quò virtus? quò priſcà fides? dominamq;, locumq;
Deſeritis, ſociæ, nec, quis fuget, antè videtis?
Longa procùl ripis via Termodoontis amici
Diuidit, his vitam caſtris, nomenq; tuendum.
Talibus incuſat, rapidoq; interrita curſu
Euolat, infeſtumq; ferox ſupèr irruit agmen,
Aduerſoq; Ducis malè tectum vulnere collum
Occupat, illiditq; ſolo, ſimùl ecce ſagittæ
Bis denæ impulſu comitum labuntur eodem.
Ille animi compos, quandò non vulnus adactum
Altiùs, aut vlla incautum traiecit arundo;
Vrſa

Vrſa velùt, quæ pulſa haſtis, & ſanguine viſo
Funditur in furias, & ſaucia ſęuiùs vrget,
Emicat, intrepiduſq; animi petit acriùs hoſtem,
Labentemq; ab equo, caput atq; auferre parantem,
Et ſpolia alta viri, quæ patri vouerat antè
Gradiuo, & magnis promiſerat irrita templis,
Impulit, obliquamq; dedit, iugulumq; ſub ipſum
Fulmineum minitans Reginæ dirigit enſem.
Tunè viris auſis impar concurrere virgo?
Nunc ſpes diſce tuas, nec plura effatus; at illa
Riſit ad hæc. palma tu virginis ergò potire.
Dixit, & euadens vacuo leuis emicat ictu,
Ac pugnam reparans ferrumq; hoſtemq; fefellit.
Vidit congreſſam Cedraſtus, dum propè iniquo
Diſtinet hunc Marte exutus iam Lazarus ære,
Et formæ memor, ac veterum haud oblitus amorum
Captus erat primis belli queis forte diebus,
Quamuis illa viri caſſas eluſerit artes,
Cunctandi rumpit cauſas, neq; ſeriùs ipſi
Auxilium extremo differt præſtare periclo.
Protinùs auulſam læua calido eripit hoſti,
Irritatq; virum. magna eſt ea gloria certè
Per noctem in ſomno captas ſæuire puellas:
Ecce viri, procùl vmbrã, procùl, ſomnuſq; receſſit,
Hic decus, hùc arma Iſacidæ conuertite. tales
Iactabat voces, & fundere tela parabat.
Reginæ intereà maior violentia gliſcit,

Et ruit auersans ausum se tangere amantem
In medios; tunc hasta leuis (quisquis fuit auctor)
Virgineum ferro pectus traiecit acuto,
Immeritumq́; bibens altè satiata cruorem
Purpureo niueum maculauit flumine corpus;
Palluit, atq́; humero terram ferit ægra, rapit se
Lux oculis, & summa legunt suspiria venti.
Vt furijs agitur diris, nimioq; dolore
Coniuge prærepta coluber, quam mollibus hortis
Inuentam baculo cultor contudit iniquo.
Sic furit asper Arabs, gemituq; insania mixto
Præcipitat, iam iamq; vlciscitur, ense lacertum
Amputat intereà, truncumq;extendit arena
Ioiadus; ille oculis ter Cœlo fixus apertis
Vindicta dolet erepta, & sectatur amicam,
Hoc insperatę solatus damna ruinę.
At sociæ, letho vt dominam videre cadentem,
Amentes sine lege ruunt, mortemq; requirunt;
Si qua tamen tulerit fors, ne moriantur inultæ,
Contendunt; verùm superi nil vota secundant,
Nam Solymi ingeminant plagas, sternuntq; feroces,
Effusæq; solum morsu tenuere, nec vllo
Acceptum potuit deleri dedecus ictu.
Sic adeo duri res se se Martis habebant,
Aduerso & Persis certamine cuncta cadebant;
Nec tamen Assyrius coràm procedere Ductor
Cernitur, aut vsquàm miseræ se opponere cladi.

Currunt ad limen, nec magnis vocibus auras
Non agitant, ſed nulla loco reſponſa feruntur.
At Bagoas latè ſpeculans crudeſcere cædem,
Irruit impatiens thalamo, ſubitumq; timorem
Facti ignarus adhuc gelido ſub pectore captat;
Vt vero accedit, corpusq; exangue cubili
(Proh qualis viſus, quantum feralis imago)
Et truncos humeros, & caſſum vertice regem
Aſpicit, ac membra in turpi fluitantia tabo;
Ceu ſtupet aurora ſenior redeunte colonus
Ante fores proceram vlmum, ramisq; patentem
Conuulſam ab radice videns, quam nocte ſub alta
Diſiecit Pater omnipotens, & fulmine aduſſit:
Sic Bagoas tanto aſpectu conterritus, amens
Diriguit, dolor, & luctus, tùm conſcia cauſæ
Mens agitat, mixtaq; pudor formidine torquet.
Continuò erumpens cœlum mugitibus implet,
Percuſſusq;manu pectus, crinemq; fluentem
Vociferat. Quid ſtatis adhuc? ſuperauimus olim,
Aſſyrij, nunc verſa gradum fortuna retorſit,
Ac demum illuſit victis; heù fœmina palmam
Vna tulit; ſtratis iacet ille miſerrimus aureis
Auulſus caput, & latè ſola ſanguine fœdat;
Nuſquam ipſa apparet. tua me, tua nuper imago
(Nunc memini) in ſomnis monuit, mitiſſimè Diuum,
Hinc fugere, & curſu tantum vitare furorem;
Agnoſco, ſectorq; lubens; nec deinde moratus

Quadrupedantis equi dorſum premit, altaq; linquit
Caſtra fuga volucri, quà limina tuta pateſcunt.
Nempè quieſcenti ſpecies apparuit Orci,
Et Deus (vt perhibent) Ægypto cultus Oſiris,
Nigrantis vituli totum quem pellis obibat.
Auro picta vngues, ipſe vnco nixus aratro
Triſtior haud vano Bagoam ſermone monebat.
Infelix, vigila, & terris fuge, nate, prophanis,
Nì facias, clades heu proxima te ſimul ipſum
Opprimet; ira Deùm damnis vos afficit iſtis;
Certa loquor, certus veri tibi nuntius adſum,
Quandoquidèm tua me pietas, & victima noſtris
Multa cremata focis, quicquid turbauerit Ochus,
Impulit, atq; tuam docuit curare ſalutem.
Hinc quoq; ſacrilegum, ſi quid mea numina poſſunt,
Supplicia hauſurum ſpero. ſic ore locutus
Extemplò celer in liquidas euanuit auras
Adſimulans taurum mugitibus. ille ſopore
Excuſſus tanto ſonitu, viſuq; Deorum
Emicat è ſtratis, ſtrepitumq; exterritus audit,
Clangenteſq; tubas, vicinaq; funera cernit.
Ergò veridicus turbata per agmina rumor
Diditur Abdaridem dextra cecidiſſe puellę,
Altaq; tollentes oculos ad mœnia notum
Pendere exanimum ſumma caput arce tuentur;
Continuò perculſi animi, gelidum ima timorem
Viſcera concipiunt, confuſas triſtibus aufert
Ipſe

Ipſe Deus mentes, & magno numine terret.
Haud ſecùs infecti quà fortè per aëris oras
Infauſti ardentes radij fulſere cometæ,
Hùc oculos vertunt populi, ancipitesq́; maligno
Horrificas metuunt portendi a ſydere clades.
Iamq; adeò ſua cuiq; fugam ſpes ſuadet, & omnis
Immemores famæ, ac turpi formidine capti
Præcipites, vt corda malum calcaribus vrget,
Non vllo fugiunt abiectis ordine telis,
Caſtraq; deſtituunt glomerati, atq; oſtia rumpunt
Concurſu, nulla eſt tanto ſat porta furori.
Audent Iſacidæ magìs, & magìs hoſtibus inſtant,
Atq; aliqui nacti palantes corpora ſaltu
Tranſmittunt in equos turbam prçuertere nixi.
Protinus aggreſſus Gaddus Xerſemq;, Rabumq;
Sternit humi arreptos, mediumq; ad cingula ſcindit
Cæſarie Sibarim flaua, tunicaq; ſuperbum,
Perſica cum lachrymis multo quam neuerat olli
Fœtam auro mater, pueroq; aptarat habendam.
Hinc Artabazo caput aufert, labra querelas
Dant (res mira) diù, lamentaq́; trunca volutant.
Alzerben Lyſias, Medarſen fundit Amyntas.
Sæuit Ariſtobolus palantia multa trucidans
Corpora; Sinnochium, Selymum, fratremq; Moluchem
Ciuibus adſcribit ſtygijs, nec Parthica virtus,
Nec fuga, ſeu verſæ miſeros iuuere ſagittæ.
Haud minor Abdiæ cædes, & funera campis.

In-

Inuicta dat larga manu, Phorcumq; rapacem
Aurea nocturni cunctantem ad pocula furti
Aggreditur, lęuumq; hasta transuerberat inguen
Calce premens victum: dein ferro nixus eodem
Ecce Dionæum latebras, & tuta petentem
In latus, inq; sinum geminato intercipit ictu:
Carminibus non ille suis ea præmia nuper
Finxerat, aut Solis talem sperauerat ortum.
Hæc dum sub portis ingenti strage geruntur,
Ecce recens ira totis sublatus ab ictu
Hostem Ramessus quærebat mœnibus Indum.
Respexit tandem fugientem, & magna secantem
Telluris spatia, & sublimi vertice euntem,
Ac trepidum appellans. Quò te rapis? en tibi nostri
Copia, non obstant socij, scutisq; tuentur
Opppositis; videorne humilis tibi deniq; præda?
Aurea quà lænam mordebat fibula, ferrum
Abdit Amalcani; cadit, & centum opprimit ille
Mole viros; qualis concussis ariete turris
Parietibus ruit ad terram, quæ vertice Olympum
Æquabat, vastamq; trahit conuulsa ruinam;
Talis Amalcanis casus, tantumq; propinquis
Attulit exitij. tum contrà. Haud hæc tua virtus,
Nec me terruerint quicumq, hominumuè, Deùmuè;
Quicquid id est, vincor fatis. neq, plura locutus
Indignans immanem animam rabido euomit ore.
Vrget Ramessus Theramantem; protinùs ille
Im-

Immemor haud fraudũ (quamquam nec fraude furorem
Vitare hunc potuit) se postquam in limine lethi
Aspicit, effugiumq; negat ferùs, & premit hostis,
Voluitur, atq; illi post tergum ceù grauis ictus
Ingruat. hæcne adeò iuuenis tibi dira cupido est?
Quin animam ipse tuam seruas priùs? aspice quantus
Miles ab Assyria lethalibus imminet armis.
Dixerat: Argiuo conuertitur ille relicto,
Datq́; fugæ spatium; volat alter, & eripit hosti
Se procul, & missa leuior secat arua sagitta.
Irrepsit pudor Hebræo, atq; insania luctum
Decepto ciet, & iustis efferbuit iris:
Connixus, totisq; insectans viribus adstat
Sollicito, iam, iamq́; tenet, terræq; prehensum
Applicat increpitans. Tune hinc euadere speras,
Improbe posse dolis? tibi non cum sanguine Graio,
Quem tua fraus toties accepto prodidit auro,
Res geritur, dabis amborum mihi, perfide pœnas.
Sic ait, & læua mentum vrgens, terq; quaterq;
Luctanti bibulum sub costas exigit ensem.
Vulneribus cruor, atq; omnis stridentibus exit
Halitus in ventos. neq; segniùs ille fugaces
Persequitur reliquos largæ dans stragis aceruos.
Ipse quoq; occisis exultat Lazarus Indis,
Et Bethanæ parat exuuias, quæ corda nepotum
Ad pulchrum accendant solidæ virtutis amorem.
Hic aliud dirum miseris occurrit Eois.

Ecce

Ecce Elephantorum tantis in motibus agmen
Immani terrore agitur, fugit horrida classis
Et consanguineas proculcat in aggere turmas.
Sic certi occumbunt vrgentibus vndique fatis,
Nec fuga palanti, ac trepido cita sufficit hosti.
Intereà Ozias equitum mandata cateruis
Miserat, expediant alas, vallumq; bicornes
Circumeant, quà se se oriens Sol aureus infert,
Impediantq; fugam. qualis cum buccina signum
Curriculo dedit, arrectis equus auribus acri
Pulsat humum pede, tùm crebris hinnitibus auras
Impatiens frangit, laxatis deniq; habenis
Haud datur vlla quies, dum metam attingat, & omnem
Dimensus victo confecerit æquore cursum.
Non secus Heroum tali pro munere læta
Pulchra phalãx volat, & pauidum supèr irruit hostem
Balthasar hic Cencri per collum dirigit hastam,
Eripuitq; diem; tùm demum lumine casso
Nequicquàm fulsit lux non incerta, nec ipsum
Tartarei latuere doli, tum fallere sensit
Exta, nec Inferni casum docuere magistri.
Esron Dorcantem ferit æmulus; ilicèt aureum
Per thoraca viro sub pectore condidit alnum;
Axorem solam, solum suspirat amorem
Ille cadens, mœstusq; inamœnum fertur in Orcum.
Horum iam portas euaserat æget vterq;,
Credideratq; necem cursu vitare sequacem
Fru-

Frustrà, insperatas assumpsit scilicèt alas.
Non aliter pastor, cùm tempestate coorta
Horrificus durum suprà caput imminet aër,
Nondùm crescentem securus traijcit amnem;
Sed torrente nouo mox interceptus, & altis
Inclusus ripis largum non effugit imbrem,
Ac miserum pulsant crepitanti grandine nimbi.
Post alios æquè pauidos extra ostia valli
Obtruncant, densi super hic, super ille volutus
Occubuere, fuga Persæ dum tuta requirunt,
Arma vetant, magnoq; viam negat obice victor;
It cœlo gemitus morientum; haud ferrea tantùm
Vox mihi, quæ cædes æquet, memoretq;, fugaces
Assyrios miseri casus quicumq; sequantur.
Hic dum barbaricas delebant arma cateruas
Hebrea, & largos properabant stragis aceruos,
Parte alia Ephræmus Solymum præcesserat agmen
Anteuolans per iter notum, & vestigia primùm
Obseruata legens, aditus quà tutus ad vrbem;
Nam simùl ac pugnæ strepitum procùl inscius hausit,
Egit equum, & stimulis pupugit pernicibus armos.
Fortè fuga dum tuta petit formidine demens
Auius, ignotaq; errans regione viarum,
Occurrit Bagoas, seq; obuius intulit hosti.
Hic habitum, & notos Pharij speculatus amictus
Cunctatur, quidq; ille ferat, quæ nomina, poscit.
Sensit se Bagoas lapsum, & properantia longè

Agmina respexit, vocemq; audiuit equorum;
Collegit subitò mentem, sermoq, patebat
Vt fortè Hebræus, patrem mentitus Iudam
Continuit gressum, atque hilari fert talia vultu.
Vana petis? ducisq; moras? quin sumere pennas
Est æquum, ò socij, & talaria nectere plantis,
Ne vestras ingens fugiat victoria palmas.
Assyrij tremefacta fugæ cita terga dedere:
Nuntius ad Solymos facti feror, istaq; victor
(Exuuias cæsi Persæ) gestamina porto.
Haud reperit fraus vana fidem, nam cognitus hosti
Sat Bagoas; tunc Ephræmus subcanduit ira,
Mentitiq; suprà caput adstitit, atq; ita terret.
Tunè adeo versare dolos impunè putasti,
Semiuir? is tibi sum, facilè quem fallere possis
Fœx hominum? haud plura, & vinclis exemerat ensem
Fatiferum, iam iamq; ferit, ni deniq; fassus
Se Bagoas hostem supplex, veniamq; precatus
Placasset iuuenem. tum cæsum à vindice Regem
Iuditha, & pelli captas terrore phalanges
Confirmat Syrias. vocat ergò Ephræmus amicos,
Elabi & Bagoam tutò sinit; ille periclo
Cautior ingenti rimatur opaca viarum,
Et celer Hebræos per syluas effugit enses.
Quàm cupidè rigui properant in pascua campi
Agrestum spes magna, boues, aut agmen equarum,
Quò repetita sonis inuitant cornua raucis:

Sic celerare gradum Solymi, generosa cupido
Afflat amore nouo, & pedibus pudor addidit alas.
Continuò rapiunt dextri breuiora viarum,
Præuerti quà posse putant fugientia regis
Agmina, præ cunctis Ionathas flagrante iuuenta
In plagas, cædesq; ruit, quò pellere virtus
Æmula, quò laudis gaudet stimulare cupido.
Quis primus? quisnam ille fuit, qui vulnera gentis
Pertulit, atq; recens cecidit moriturus in agmen?
Dorile tu miserande puer, non funere tali
Digne puer, sed cuiq; diem præscripsit Olympus.
Ipse ego, quicquid victuris, ab origine chartis
Virtutem, fatumq; tuum lachrymabile texam.
Hic Ladonte satus Phrygio, charissima nuper
Abdaridi facies, mansit dum vita superstes.
At pater ætati metuens, aut fortè mali mens
Præsaga, vt superi quadam vi sæpè futuri
Semina subijciunt animis, furtimq; ministrant,
Illum hesterna luce vocauerat, estq; ita fatus.
Nate, vices rerum, & mea me inclinata senectus
Admonet haud vltrà famam celare tuorum.
Ipse animi, bellique potens melioribus annis
In Phrygia florebam aula, cum fortè puellam
Deperij Cindam; tum filia regis amores
Sensit furtiuos, & me supposta fefellit
Termopyle Abdaridem materno sanguine tangens.
Et iam Luna suum nouies lustrauerat orbem;

Cum teneros ingens miseræ dolor occupat artus,
Et tandem emittit vix fœtum, teq; dat ista
Luce frui, & Cindæ puerum moritura relinquit,
Semotisq; alijs sic est affata scientem.
Nunc me fata vocant (adeò pretiosa libido
Nostra fuit miseræ) neq; fas educere matri
(Cernis enim) puerum; per verba hoc vltima pignus
Dò tibi, quæ sola es nostræ non inscia culpæ,
Sola comes; tu, si qua fides sub lumine cœli est,
Per dextram hanc iuro (dextram tetigitq; puellę)
Per si quid merui (sileo quæ plurima) tecum
Carpe lubens; hunc tu cura clàm nomine facti
Pascendum, sanguis meus est, me charior ipsa;
Sis custos, materq; illi; neu rebus egere
Forte time, sunt hic gemmæ, sunt aurea signa
(Heu quondam Dominæ) sume hæc, & consule nato.
Iamq; vale. dixit, vitamq; in voce profudit;
Mortem omnes norunt, causam pars criminis vnus
Sensi ipse, & tristis veterem execrabar amicam,
Extemplò, ne res deprendi indagine posset,
Ignoti noctu fugimus, penitùsq; silentem
Fiscella eripimus, patrijsq; excedimus aruis.
Haud memorem ærumnas varias, superataq; nobis
Flumina. præruptos montes, nemorumq; latebras,
Donec ad Assyrios deuenimus; hic quoq; matrem
Amittis reliquam; creuisti, & cætera nosti,
Militiamq; vides nostram, serosq labores.
Si

Si quid erit, quo me celeri dent fata ſepulchro,
Diſce genus, ſpesq; inde tuas, natalia regna
Aſſyrijs ſi forte ineas auctoribus olim,
Troianas & opes, proauitaq; ſceptra receptes.
Sentiet hinc magni cauſas cognatus amoris
Deniq; Holophernes, auroq; armiſq; iuuabit.
Dixerat; exitium cecinit ſibi ritè propinquum,
Sed regnum pueri tenues effugit in auras;
Nam ſimulàc gentis cœpit fuga Sole ſecuto,
Terga dabat pariter reiectis Dorilus armis,
Cui pulchro ante alios vultu, & florentibus annis,
Nondum vernabant tenera lanugine malę,
Et niueum flauens Syrio coma fuſa liquore
Pulſabat collum, ſudor teres ora rigabat.
Quales aut ſparſæ prima ſub luce diei
Rore micant herbæ; aut gemmis interlita veſtis.
Talis erat pueri vultus, crinesq; decori;
Ipſo etiam; quo plenus abit, de puluere manat
Gratia, tum pallor gelidus decus addit eunti:
Ponè ſequebatur genitor, iam tardior æuo.
At puerum Galilæa fuga deuexa ſecantem
Ecce minis Sarchon terret ferus, & premit haſta.
Clamauit ſupplex ſenior, palmaſq; tetendit.
Me potius, me funde ſolo, non criminis iſte,
Conſilijuè potens, nec vos exterruit armis,
Ipſe hoſtis, veſtrum ipſe latus mucrone petiui.
Reſtitit acer ad hæc, tenuitq; à vulnere ferrum.

Iſa-

Isacides; alia ſaxum ſed parte volucre
In caput it puero, nec flauos ſanguine crines
Non maculat, nec colla ſimùl non lactea fœdat.
Non ſecùs ac ſi purpureo quis murice fuluum
Aurum internectat fingens, minioq; rubenti
Pingat ebur; cadit infelix, languetq; ſub ictu
Exanimi ſimilis. quæ ſpes ſuccurrere nato?
Quid faciat pater? abſcedit turbata malo mens;
Nec mora cunctantis lateri ſe miſſile telum
Inijcit, & calidum potat de pectore flumen.
Suſpirat miſer, ac terram premit ilibus; atra
Inuoluit nubes oculos, & dimouet auras.
Dorilus vt primum duro ſe ſe æger ab ictu
Extulit, & mentem lapso procul hoſte recepit,
Vnum inhiat genitorem, vno in genitore moratur,
Ac demum canos maculantem ſanguine crines
Aſpicit, exanimumq́; ; haud vis, haud ſpiritus olli,
Tum pulſat gemitu, & crudelibus aſtra querelis.
Tantanè te natum tenuit ſupereſſe voluptas,
Heu Pater, vt pro me velles occumbere morti?
Et viuo, ingratusq; adeò tua funera cerno?
Haud ita; ſed quia non aliud fortuna reliquit
Chara legam, & ſi quà potero, dabo membra ſepulchro:
Tu tenue hoc iſta nunc pro pietate leuamen
Accipe, mox de me manes, aut ſydera curent;
Hęc mihi regnorum ſpecies, hæc pignora ſunto.
Sic ait & corpus tumulis exangue parentis
Extu-

Extulit, atq; sinum facilem quærebat humando.
Forte fuit specus, & vacuis vicina cauernis
Spelunca, obscuræ fauces, atriq; recessus;
Hùc se se Phrygius fert, limina iamq; tenebat,
Limina, quæ multi frustrà sperata petebant;
Ecce autem Ionathas, Solymumq; accesserat agmen,
Cum leuis in puerum subito lethalis arundo
Labitur, atq; altè terebrat latus, ille cadauer
Saucius ex humero ponit, nec se regit, & iam
Collapsus, super incumbens; quod deniq; possum
Te Pater ore tegam, nec prorsum inhumatus abibis.
Dixerat; ingemuit Ionathas, vt vidit, & ipsum
Eloquio spirantis adhuc cognouit amorem,
Et formam, & lethum pueri miseratus acerbum est.
Tum socijs. haud bella pijs inferre putabam;
Corpora quin aliquis leuet hæc, tumuloq; recondat.
Hæc pietatis habe, & duræ solatia mortis,
Ne dubita, vitamq; puer, melioraq; fata
Promerite. Hæc fatur Ionathas, cum pallida nigros
Concessit pueri ad manes, artusq; reliquit
Vita minus tristis promisso: qualis honorem
Interclusa solo, desertaq; lumine fratris
Amittit Phœbe; talis languebat in ipso
Dorilus occasu, & lachrymas vel ab hoste ciebat.
Hic noua res Solymis, atq; improuisa repentè
Obijcitur, primoq; obtutu pectora turbat;
Hormus qandoquidem, latebras vt forte sub illas
Detu-

Detulerat ſe ſe, vel cogere monſtra paratus,
Vel certus, ſi dicta negent, abrumpere vitam,
Reſponſis tandem haud monitus, nec vocibus vllis,
Agmen vbi ad fauces inimicum ſenſit adeſſe,
Erupit; non ſic ſtygijs horrenda cauernis
Tiſiphone ruit, aut tali tonat aſpera voce,
Quantus agit ſenior ſe ſe impius, atraq; linquit
Oſtia vociferans, ſonitu quo territa tellus
Succutitur, curuoq; vlularunt fornice montes;
Vimineam dextra virgam quatiebat, & ignis
Vndabat niger ex oculis, tum viſus ad auras
Attolli, nec triſte ſolum contingere planta.
Attonitis hæſere animis ſub imagine prima
Iſacidæ; at curas demit, ſoluitq; timorem
Conſcius Ephræmus; nempe hic ille (admonet) ille eſt
Inuentor ſcelerum; quid ſtatis? & iſta pauetis,
Cunctantes ſocij? veſtra eſt ea præda, nec vlli
Mors inhiat tantum capiti: hæc vbi dicta, prehenſum
Continuò exturbat, trepidumq; volutat arena,
Certatim feriunt alij; ſuper ingruit ingens
Telorum ſeges, & foſſum tegit horrida ſylua;
Ille etiam extrema metuendus morte pauorem
Victori incuſſit cuneo, turpemq; profudit
Trux animam, horrendis & calcibus impulit auras.
Inferni circùm manes rapiuntq; trahuntq;
(Debita iura ſibi, ac teneris deuota ſub annis)
Sacrilegum: extemplò denſa cum grandine mixta
Tem-

Tempestas oritur, Cœlum nox eripit atra.
Intereà haud patiens, laudisq; incensus amore
Centenis equitum præcesserat, inq; quietus
Bethuliæ Ionathas se se coniunxerat armis.
Ingemuit, postquam cædem, atq; arua omnia vidit
Exanimis respersa viris, infractaq; tela
Aduentum incusans tardum, serosq; labores;
Relliquias tamen insequitur festinus, & Eunum,
Ammonijs quem frustrà Achior quæsiuerat antè
Præfectum, fracta ad scapulas transuerberat hasta:
Et supèr exemptum vinclis pulmone sub ipso
Tigrani Armenio capulo tenùs occulit ensem,
Qui famam, & titulos demens iactabat auitos.
Quis memoret densas acies, turbamq; minorem;
Quam Ionathas totis prosternit feruidus agris?
Ceu postquam effudit largis se se imbribus aer
Noctes, atq; dies, riuosq; amnesq; repleuit,
Terribiles, Athesisuè Pater, Tyberisue Latinus,
Eridanusuè petens centeno flumine pontum
Omnia vasta trahunt, segetes, & pinguia culta,
Et pecora, & syluas magnas, & saxa domorum.
Haud secus Assyrium morientia corpora victor
Aggerat, & rubris iuuenis dat funera campis.
Ipsi quinetiam socij, quos impetus idem
Impulit, haud cædi parcunt, neq; segnius vrget
Parte alia Ephræmus, reliquas qui adduxerat alas.
Torgus adhùc inuictum animum prætenderat vnus,

Abdaridisq; vices cæsi suppleuerat ardens,
Nunc hos nunc illos reuocans, populumq; fluentem
Sistere conatus nequicquàm, namq; salutem
In pedibus, celeriq; fuga sibi quisq; locarat;
Nec cohibere suos, hostiq; obstare furenti
Sufficit, & raptus fugientum à millibus it vi.
Hunc vbi respexit Ionathas subsistere solum,
Inuitumq; trahi, se seq́;opponere stragi
Terribilem, magnosq; animos præ se ore ferentem,
Emicat, atq; aperit cuneis hinc, inde resectis
Fulmineo mucrone viam, terit vngula Persas
Vndiq;quadrupedis, prostrataq, corpora saltu
Transuolat, illum ensisq, sui, iustiq, furoris
Haud prædam ratus indignam, caput inter & hostes
Non humile: vt timidas interdum incedere contrà
Magnanimus leo, cui prædæ generosa cupido,
Indignatur oues palmam aspernatus inanem,
Sed taurum ingentem potiùs, simul ore vomentem
Flammas, & cornu ventos in bella vocantem
Aggreditur, sparsoq, feri se tingere gaudet
Sanguine, & ex alto gestit capere hoste trophæum
Sic ruit in Torgum iuuenis, iamq; imminet olli
Flammeus, & suprà librato constitit ense,
Diriguit subitò sanguis, gelidusq, cucurrit
Per venas timor Eoo, nullum ante timorem
Qui norat, maiusq, viro procedere quicquam,
Illa nec ambiguus mortalia cogitat arma.

Se tamen actutùm reuocat, contraq; minantem
Vrget equum, fictaq; metum ferus occulit ira;
Sed non aduersum fas est euadere Martem;
Transadigit ferrum costas, imisq; cruorem
Visceribus bibit, & solidum thoraca recludit
Post tergum quoq;, nec triplex corij ordo resistit,
Ingentiq; animæ duplicem patefecit hiatum.
Voluitur is moriens ad terram, nulla suiq;,
Ni generosa, memor fatis dat signa supremis,
Et vita in nigrum descendit tristis Auernum.
Tùm reliqui prostrati hostes, premit omnia Victor.

SIC laudes diuina tuas IVDITHA canebam,
Tempora Phœbæa possem quò cingere lauro,
Captus amore operis tanti, audaciq; iuuenta
Fretus, dum longè à patria versatus in aulis
Seposui interdum quæsita per ocia curas.
Auspicibus donec Superis, & Principis aura
VRBANI, mundo columen quem fata dederunt,
Se labor in lucem maturo tempore ferret.
Atq; vtinàm tua carminibus se gloria nostris
Insinuet sensim, & mansuro nomine firmet.
Quod si non Indi, ac positę sub Sole cadente
Extremæ accipient gentes, non torrida Cancro
Littora, nec gelida longè plaga dura sub Arcto,
Ausonijs saltem numquam delebile regnis
Viuat opus, serique obliuia transuolet æui,

Laudata & misero medeatur foemina mundo.
Non ego tunc auro malim ditescere fuluo
Obsequium mortale metens; facilè interit aurum,
Interiere, quibus vis auri plurima, regum
Nomina quinetiam magnorum abolere vetustas
Assolet; vna manet virtutis fama decoræ.
Tuq; adeò, quam Sol rutilo circumdat amictu,
Candidaq; auratis blanditur Cynthia plantis,
DIVA PARENS, eadem (dictu mirabile) VIRGO,
Annue; quicquid erit decoris, tibi seruiet vni;
Gloria tota tua est; tibi fas me accepta referre
Ingenij monumenta mei, vitamq; periclis
Ereptam, & puri reparatum luminis haustum,
Ales ceu reparat Soli sacer igne iuuentam.
Hæc tibi non vno in templo votiua tabella
Pendeat, ast hominum seclis æterna futuris
Innumeræ sint templa manus, hìc te omne celebret
Deuotum mortale genus, te scilicèt ipsam
Agnoscet, palmamq; tuam; tu maxima Vindex
Quandoquidem stygij secuisti colla Tyranni.
Sed quià cum nequeat veros effingere vultus
Numinis, humanos imitatur pictor amictus,
Oraq; ; propterea nostris cum promere chartis
Non ego te possim, signa inferiora secutus
Iuditham elegi, Iudithæ lumina pinxi;
Illa tamen, Regina, tuæ virtutis imago est,
Quantùm & fas nobis, aliena in veste refulges.

LAVS DEO, ET VIRGINI MATRI.

BARTHOLOMAEI TORTOLETTI

SAC. THEOL. DOCTORIS

IVDITHA VINDICATA



AD LECTOREM.

SI quid te læsit IVDITHA in Vindice, Lector,
Has, probe, Vindicias perlege, sanus eris.

IVDITHA VINDICATA.

CONSILIVM AVCTORIS exponitur.



Gitur annus fortaſsè vigeſimus, poſtquam Iuditham vindicem Poëma Epicum ſcripſimus, & quòad per noſtrum ingenium licuit, à præceptis, exemplisq; meliorum non alienum. At illud quidem ſiuè incuria, & contemptu, ſiuè curarum magnitudine, atque inopia temporis in obſcuro hucuſque iacuit; ità ducente fortaſsè Numine, quò VRBANI VIII. Sapientiſsimi Principis, mihiq; vt bonis omnibus, optatiſſimi auſpicijs ederetur: hæc enim rerum, quæ produntur ingenio, felicitas eſt, nanciſci Principem, qui annuat. Deterruit etiam diù multitudo obiectationum, cum partes aliquæ per manus hominum euolaſſent, nam quanta res ſit in ampliſſimo eruditorum theatro exponere ingenij fœtus, quàmq; arduum varijs mortalium ſententijs ſcribendo ſatisfacere, quiſquis ſcripſit, teſtari poteſt;

poteſt; quod ſi ſingulis ſtudere velis, nemini places. Vicit tandem animi magnitudo quædam, & laudis amor; Homero, Virgilioq; principibus poëtarum inuenerunt, quid obijcerent; ſi nobis parcerent, illud ſummum, firmiſſimumq; argumentum foret nullam noſtri poëmatis à viris doctioribus rationem habendam cenſeri; cumque alios eundem conatum aggreſſos comperiſſemus, videndum nobis fuit, ne noſter ſit irritus; atq; eorum ſaltèm gloriam augeat, qui melius dixerint, neque à noſtra dignitate fortaſsè abeſt alios ſcribere, quod ipſi elegimus. Vicit (quod caput eſt) pietas, ne Votum Diuæ Virgini, præconium, qualecunq; ſit, Victrici Viduæ, quaſi malo dolo negaremus. Si cætera reprehendant, hanc ſanè partem damnare nequaquam poterunt. Igitur in lucem Iuditha noſtra progreditur. Ego verò quæ colligere argumenta aduersùs ipſam iactata, depromptaque vtcumq; potui, ijs vt occurrerem, nouum hunc laborem ſuſcepi ſedulò; & quam compſi, ornauiq; Heroidem, etiam defendere, & ſartam tectam dimittere operæpretium exiſtimaui.

Quæ autem meorum conſiliorum ratio fuerit, ea mihi explicanda videtur prior, vt parato aditu expeditior ad reliqua ſit progreſſus; nam cum hoc præſertim diſcrimine à brutis animantibus diſtinguamur, atq; ad Deum propiùs accedamus, quod illa partim naturæ ductu, partim caſu omnia gerant, nobis verò electioni, & conſilio locus ſit, qui ſine conſilio rem quampiam aggrediatur, hu-

humanitatem ille, dignitatemq; abijcere videtur.

Ego vel à puero Philoſophiæ, ac Theologiæ, quæ ſolida mihi ſtudia propoſui, operam dedi; etenim quę ad actionem ſpectant, inferiora ratus optimam partem cum Maria eligere non dubitaui, qua non ea, quæ corpori ſeruiant, ſed quæ animum immortalem, ac diuinitatis participem nutriant, ducantque quaſi manu ad eum, à quo ſuam originem deriuauit, quiq; vltimus illi conſtitutus eſt finis, ampliſſimè continentur: cætera quippè omnia, quæcunq; ſint, aut interiere, aut interibunt, neq; ex hac vita quicquam ſupereſt præter cognitionem, amoremq; Numinis, à quo vnò certa in beata æternitate domicilia ſperamus. Prò me quoq; facere videtur, quæ apud Platonicos opinio eſt, qui felicitatem in contemplatione, non in actione collocarunt, quiq; Heroas Deo patre genitos, vt Orpheum, Æſculapiumq; contemplationi, Dea matre, vt Achillem, atq; Æneam, actioni addixerunt; præter vnum Iouem, qui cum actioni prępoſitus ſit, filios quoq; actores genuiſſe creditus eſt. Quæ quidem cogitatio, antequam ad negotia accederem, animum tenuit: Vbi Romam conceſſi, contemplationis ſtudia exuere, actionis induere neceſſe fuit, atq; ità comparari, vt intelligerem ſeruiendum eſſe tempori & loco, prout, quò oporteat per prudentiam ducuntur ingenia. Quod ſi ocij quidpiam nactus ſum, animus haud dubiè ad ſe ipſum reuerſus eſt; ea tamen ratione, vt actioni num-

quam contemplatio obfuerit, actio contemplationi plurimùm. Ex quo minùs audiendi videntur ij, qui speculationes, & politiores litteras segregant à negotijs, quæ sinè earum ductu ritè prouehi neutiquàm possunt, imbuuntq; hac opinione Principes, vt suis impensiùs interdicant litteris, quàm vitijs, eò proniores, quò infrà maiestatem suam rentur, si inter seruitia reperiatur, qui haud seruilibus disciplinis animum excultum præferat, & dominis parem, quiq; præter officia seruitutis, atque vmbram Principis propriam famam mereatur. Hæc prò re nata; nunc ad incœptum redeamus. Verùm enim verò cum animus qui ex sui natura deficere, frangiq; lassitudine minimè potest, vitio tamèn corporis, vt plerasq; induit deformitates, polluiturq; quasi contagio, ità fessus quoq; assiduis contemplationibus languet, egeatq; adminiculis ad reparandas vires, mihi itidem adminicula eiusmodi quærenda videbantur, quæ à grauioribus studijs animum leuare possent; cum autem nullo eamdem adminiculo recreari fas sit, præter statum, & quietem, quæ in vno Deo post humanæ vitæ curriculum continetur, proptereaq; nunquam vacuus semper operetur, atq; ab actione in actionem commigrans ibi quiescere videatur; vbi aliud agit ab eo diuersum, cui pridem defatigatus incubuit, rem idcirco in primis suauem, neq; affinitate à summis contemplationibus alienam, quò me natura vocitabat haud temerè amplexus sum, nullamque ab homine ingenuo

amœni-

amœnitatem Musarum hortis anteponendam esse existimaui, quò diuertens tantispèr animus cum dignitate, fructuque recreetur. Et Philo quidem disertissimus Iudæorum, qui poëseos naturam intimè præ cæteris attigisse mihi videtur, in eo, quòd deterior potiori insidietur, commentariolo, poëtarum summum esse demonstrat Deum; poësim opera ipsius absolutissima, perfectissimaq; quorum consensione harmonia, & concentus oritur iucundissimus, neq; aliud esse poëtarum artem, quam diuini opificis imitationem. Idem ferè Pythagoras docuit. Idem Plato, qui in Timæo ex conuenientia, proportioneq; numerorum ad Musicam pertinentium animam mundi conflauit. Nec abesse videtur Aristoteles, qui poëtam philosophum dicit perfectioni inhiantem, & non quemadmodùm res fuerint, sed qua ratione fieri debuerint, exhibentem. Neque abest sententia Proclus, apud quem hominum vita rectè disposita consonantiam morum, & actionum concinnitatem à superis suscipit. Immò verò antiquissimos poëtarum Theologos fuisse appellatos, resq; sacras mandari carminibus solitas; hymnos apud Hebræos non nisi à Deo per Prophetas, apud Platonem Moysem Atticum non nisi à diuinis hominibus fieri nefas, vt Eusebius Cęsariensis amplissimè docet, compertum est. Ex hoc apud nos quoq; in Cœlo concentus ad laudem Numinis; ex hoc in Ecclesia rithmus, & hymni: neq; illustrius quicquam, aut præstantius in hanc sententiam dici

dici poteſt, quam quòd D. Ioannis Chryſoſtomi in Pſ. 41. aureum eloquentiæ flumen è naturalibus principijs rationem deriuans diſertiſsimè pronuntiauit; quamobrem verba ipſa attexere liceat [Nihil animam (inquit) ęquè erigit, & elatam quodammodò efficit, & à terra liberat, & exoluit à vinculis corporis, & amore ſapientiæ afficit, & vt res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, proficit, vt verſus modulatus, diuinum canticum numero compoſitum. Noſtra certè natura vſqueadeò delectatur canticis, & carminibus, & tantam cum eis habet neceſsitudinem, & conuenientiam, vt vel infantes ab vberibus pendentes, ſi fleant, & affligantur, ea ratione ſopiantur. Nutrices quidèm certè, quæ eos geſtant in vlnis, ſępè abeuntes, & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes ſupèrcilia eorum ita ſopiunt. Quocircà ſæpè quoque viatores meridiè agentes iugalia animalia hoc faciunt, canentes, & itineris moleſtiam illis canticis conſolantes. Nec ſolum viatores, ſed etiam agricolæ vuas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcunq; aliud opus facientes ſæpè cantant. Nautæ quoq; remos impellentes hoc faciunt. Iam verò mulieres quoq; texentes, & confuſa ſtamina radio diſcernentes ſępè quidem, & perſępè ſingulæ, ſępè autem omnes concorditèr vnam quandam concinunt melodiam. Hoc autem faciunt mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, qui ex opere faciendo ſuſcipitur, laborem cautè conſolari volentes.

tes, vt potè quod anima si carmina, & canticum audiuerit, molesta, & difficilia sit faciliùs toleratura. Quoniam ergò hoc genus delectationis est animę nostrę valdè cognatum, & familiare, ne Dæmones lasciua, & meretricia carmina introducentes omnia euerterent, Psalmos Deus construxit, vt ex ea re simùl caperetur & voluptas, & vtilitas.] Hæc ille vberrimè, & consultissimè. Igitur qui abhorrent à poësi, eos profectò nihil diuinum, & parùm fortè humanum sapere, nihil perfectum expetere necesse est; perfectionis enim effectus primus est, qui oritur, numerus. Quod si Poëtas Plato è Republica eiecit, aut illos mehercule tanti viri opinio profligauit, qui Musis, vt hodiè plerumq; fit, in lupanar deductis mores corrumpunt, & iuuentutem polluunt, aut qui rectam de Deo Optimo Maximo opinionem inanium fabularum deliramentis destruere sunt apti, quemadmodum sapientèr Iosephus Flauius contra Apionem professus est. Addo, si rem impensius consideremus, nullum iam scriptionum genus ingenijs patere pręter Poësim. Iure consulentium plena sunt omnia, atq; vt olim Tacitus, corrupta Republica plurimæ leges, sic multiplicatis demùm interpretibus corruptas leges iurè possumus affirmare; ordinem inuertere, quicquam noui afferre neutiquàm possunt. De Philosophis, Theologisq; idem ferè statuẽdum Eloquentiæ, præter conciones sacras, occasio deest. Historiæ aut materia non suppetit, aut quis est, cui veritatem afferre intutum non sit?

ſit? Poëſi aperta omnia fingere; laudare, reprehendere ad libitum poteſt.

Cum itaq; per interſtitia diſciplinarum ad Muſarum obſequium me contuliſſem, ingeniumq; huiuſmodi amœnitate ſtudiorum aliquantulum excoluiſſem, vt primùm acceſſit ætas, quæ onus ſuſtinere poſſe videretur, ad poëma Epicum ſcribendum ſtatim animum adieci: Venari quippè aut præſentem famam, aut gloriam, & immortalitem nominis apud poſteros Odecula, vel Epigrammate inanem eſſe laborem intellexi; etenim nulla æquè ſollicitudo natura mortalibus inſita eſt, ac ęternitatis amor, nam quod ſingulis imbecillitas naturę negauit, id ſpeciei, generi ipſi, quemadmodum tùm cæteris animantibus, tùm plantis vſu venit, vſque adeò naturę conſilium largitum eſt, vt omnia ad immortalitatem compoſita fuiſſe videantur. Hoc ad vitam corporis pertinet. Animus de ſe ipſo incorruptus: at ne quid deſit, quod ad tuendum hominem fieri poſſit, tertium quoddam vitę genus ęternitatis cupiditas excogitauit, quo per famã viuat ille poſt mortem. Agendo Principes, quę ſcribantur, ſcribendo cœteri, quę agantur, illud ſcilicèt aſſequuntur. Porrò tenuia carmina neq; ſatis ingenium produnt, neq; viribus temporis reſiſtere diu valent: in alijs quoq; rebus exemplum ſub oculis. Hadriani moles, Amphitheatrum Flauium, Pantheon Agrippę ſteterunt vt plurimùm, ędes priuatę, ſepulchra, ſimulacra perierunt. Immò verò & Horatius tantus vir, cum maio-

ra pœmata non attigerit, inserere se cohorti poëtarum veritus est; ait enim Sat. 4. libri prioris.

Primùm ego me illorum, dederim quibus esse poëtas,
Excipiam munero, neq; enim concludere versum
Dixeris esse satis, neq; si quis scribat, vti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.
Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atq; os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

Quę verba omnes cordati viri cõsentiunt ad poëma epicum, ac Tragædiam referri. Quę cum sic se habeant, vna difficultas erat, quid eligerem, cum ab ijs, qui antecesserant, occupata omnia comperissem, neq; spes esset illud fastigium assequendi, multo minùs excedendi. Quocircà me in huiusmodi cogitatione diutiùs versari oportuit, ac dubitationem, metumq; exuere, cum ritè scribenti vnicuiq; nisi primam, at suam laudem paratam esse sentirem. Videndum mihi tandèm existimaui, quod genus rerum potissimum tùm Epopoeiam, tùm me deceret, vt ex eo delectum congruentem haberem, animaduertiq; ad hominem sacris initiatum nihil congruentiùs, quàm sacra pertinere; plura superesse in rebus sacris, quę vsqueadeo mihi laudem parere possent, vt laboris nequaquàm pœniteret. Argumentum eius generis excerpere sine historia me non posse intelligebam, nam cùm in fabulis profanis, vt infrà videbimus, nouos reges, noua bella, si fidem acquirere velimus, effingere non licet, tùm in sacris maxime cauendum est, ne quidpiam

piam

piam affirmemus, quod à veritate ſit alienum, non enim ſine mendacij tantùm, ſed ſine ſacrilegij, atq; impietatis quoq; crimine id fieri fas eſſet. Res vero geſtę, quę ad ſanctitatem ſpectant, plurimę ſunt, eęq; in primis nobiles, et eximię: Sed cum duplex, vt cum melioribus ſentiã, Poëſeos ſit finis, alter proximus, qui in voluptate ſitus eſt, alter vltimus, qui ad vtilitatem pertinet, quemadmodùm prudenter Horatius monet.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

illud mihi factum cęteris anteferendum arbitratus ſum, quod præ cæteris tùm delectare, tùm prodeſſe poſſe videretur, vt ſi minùs alijs in rebus excellerem, ex electione ſaltem aliquam laudem mereri poſſem, nam profectò ità à grauiſſimis viris accepi, optimæ inuentioni optimam electionem æquiparandam eſſe. Eiuſmodi Iudithæ facinus oppidò videbatur, nam quod ad voluptatem attinet, cum iſthæc per ea, quæ ſunt admirabilia, auctore Ariſtotele, in eo, quem de Arte Poëtica ſcripſit, libello concilietur, nihil admirabilius vt crederem poſſe contingere, animum induxi meum, quàm inermem, imbellemque fœminam in medijs innumerabilium hoſtium caſtris Imperatori fortiſſimo necem afferre, popularesq; ſuos ab extremo periculo vindicare. Quod vt pateat apertiùs, operæpretium exiſtimaui de admiratione, eiuſque fontibus nonnulla breuiter diſſerere.

Admirationis naturam plurimi obitèr attigerunt,

Ariſtoteles, Simplicius, Auicenna, Damaſcenus, Albertus cognomento magnus, D. Thomas, Fracaſtorius, Buccaferreus, Valeriola, Cæſar Scaliger, alij; nemo ex propoſito quod ipſe viderim, præter Ioannem Talentonum, qui hac de re in Mediolanenſi Academia quęſtionem habuit oppidò luculentam. Omnes vero in definienda admiratione de genere conſentiunt, in cęteris diſcrepant: conueniunt enim eſſe ſuſpenſionem quandam animi; ſed cum alij ab ignoratione cauſarum illam deriuant, alij ab inſolentia, & nouitate, alij etiam timorem adnectunt, plerið; voluptatem, in varias ſententias diuiduntur quęſtionemq; implicant diſputando. Ego verò tametsì ex ignoratione cauſarum admirationē oriri non dubitem, atq; ex ſchola Peripatetica hauſerim hanc fuiſſe originem philoſophãdi, tamen cum plura admiremur, quę ſub ſenſum cadunt, neq; opus eſt cauſarum abdita inueſtigare, in eorum ſententiam facile coëo, qui ſuſpenſionem huiuſmodi circa res, quę ab vſu quotidiano longiùs abſunt, fieri affirmant atq; in raritare, aut nouitate diſcrimen cõſtituunt. Et profectò Auguſtinus Theologorum magiſter maximus in Ioannis cap. 6. Maius eſt miraculum (inquit) gubernatio totius mundi, quam ſaturatio quinq; millium hominum de quinq; panibus; & tamen hoc nemo miratur; illud mirantur homines, non quia maius eſt, ſed quia rarum. Neq; in Chriſtum ſeruatorem, in quo theſauri omnes ſapientię, & ſcientię Dei conditi ſunt, temerè putandum eſt cecidiſſe cauſarum ignorationem, cùm tamen

ceciderit admiratio, sed cum viris grauissimis, ijsdemq; sanctissimis interpretandum à rei nouitate, atq; inusitato euentu admirationem de fide Centurionis fuisse deriuatam, miratumq; Dominum, non quod ignorauerit, sed quod antea vel nunquàm, vel rarò viderit; poterant enim proficienti ętate, & sapientia plura contingere, quibus neutiquam adsueuisset, & per experientiæ gradus incrementum capere, pro vt in 2. Euang. Hist. Cap. quæ à D. Luca conscripta est, planis verbis memoratur, atq; adeò D. Thomas, cuius ore videtur esse locuta Theologia, 3. p. q. 12. ar. 2. litteris consignatum reliquit. Est igitur, nisi fallor, admiratio suspensio quædam animi circà res, aut facta, quæ præter vsitatum ordinem sint, aut fiant, quod si eædem eiusmodi fuerint, quorum causas ignoremus, maior vtiq; erit suspensio. Ex his autem deduci admirationem testis est Simplicius in 1. Aristotelis de Coelo librum, qui ait admirabile illud esse, quod naturæ vsum impensiùs excedit, vsum inquam, & consuetudinem, nam quæ suprà vires naturæ sunt, & diuinam potentiam requirunt, miracula nuncupantur. Quæ cum ità sint, tùm res, tùm facta nobis admirabilia huiusmodi quærenda sunt. Res in duplici sunt differentia; nam vel à natura fluunt, vel ab arte, in ijs, quæ à natura, si adsit aut excessus, aut defectus, aut flexus aliquis à communi consuetudine, quemadmodum fit in monstris, ex huiusmodi oritur admiratio; quæ ab arte, vel earum materiam admiramur, vel externam illam formam, in qua tum

quanti-

quantitatem suspicimus, vt simulacri solaris apud Rhodum magnitudinem, spheræ Archimedeæ omnes cœli circulos, & motus breui globo comprehendentis tenuitatem; tùm qualitatem, vt similitudinem, qua ad naturam propriùs accedunt, venustatem operis, industriam, diligentiamque artificis, quo iure cum factis affinitatem quandam habent. In factis ex modo, aut exitu admirationi locus est, cum aut sunt præter propositum, aut præter consuetudinem. Nos factum præ manibus habemus: at in facto modus ille Peripateticorum Principi maximè probatur qui præter propositum contingit, cum per ea nimirùm instrumenta, quibus quidpiam efficere studemus, contrariũ efficimus, vt in Oedipo videre est, qui eo ipso tramite se in calamitatem pręcipitauit, quo calamitatem effugere conabatur, Porrò hic modus ad Tragœdiam dumtaxàt videtur pertinere, non autem ad Epopoeiam, in qua ex mente operantis est quodcunque efficitur. Achilles vlcisci cædem Patrocli, Æneas in Italiam traijcere, ac domicilium sibi statuere tùm præcipiunt animis, tùm assequuntur. Quamobrèm alius nobis inuestigandus est excitandæ admirationis modus in Epopoeia. Atque ego quidem, cùm vniuersam Poëmatum omnium seculorum classem obseruo, in eam opinionem descendo, vt modus ille statuendus videatur, quo vsqueadeò septæ, ac præclusæ res difficultatibus afferuntur, vt vix fieri cogitari ve possit easdem vllis viribus explicandas, atq; ad exitum perducen-

ducendas esse. Eòq; antecellere Heroicam Poësim censeo, quò frequentioribus euẽtis ad gignendam admirationem nititur quàm Tragoedia. Quis enim vnquam comprehendere animo potuisset Æneam Regina Deorum aduersante, totq; periculorum obicibus longè arcente Italiæ littoribus appulsurum, atque in hoc solo regnaturum? quis Hectorem vniuersi Græci exercitus terrorem, ac stragem ab vno Achille interfectum iri somniasset, remq; tantis nodis implicitam ad hunc exitum peruenturam? Hac ratione si minùs præter agentis propositum succedunt res, præter lectoris, aut spectaturis expectationem, ac fidem planè succedunt, cui nimirùm secùs, contrauè omnia videntur contingere debuisse. Quod admiratione dignum esse maxima innuit ipse Aristoteles initio suæ Metaphysices. Ad hoc genus rei mirabilis victoria refertur IVDITHÆ nostræ, quæ Achillis, atq; Æneæ rebus gestis eò videtur admirabilior, quò difficilius est, ac præter rerum ordinem, mollem fœminam arma tractare, & vincere, quam viros militares palmam ex hostibus reportare. Et quidem id facinus adeò mirabile creditum est, vt omnium seculorum calamis sit celebratum, & pictor vix repertus sit, qui maximum sibi dedecus parari non judicauerit, si suo Juditha pennicillo præteriret. Atq; hæc de admiratione, ex qua voluptas nascitur, dicta sint. Nunc quem fructum, vtilitatemq, ex Judithæ opere percipi posse in mentem venerit, exponendum est.

Qua-

Quatuor enumerat partes Aristoteles, quæ ad constituendum Poëma Epicum requituntur, fabulam, mores, sententiam, & dictionem, eaq; connexione, atq; ordine inter se, vt per dictionem sententia, per sententiam mores, per mores fabula ferè exprimantur. Fabula anima est, formaq; Poëmatis, cui mores, quasi habitus annectuntur. Mihi itaq; videndum fuit, antequam in Iuditha consisterem, fabulanè, moresq; penès eandem eiusmodi fuerint; qui maximo præ ceteris vsui legentibus esse possint. Fabulam verò non ità à me accipi existiment rudiores velim, vt Iudithæ Victoriam commentum dicam; hæreticum quippè, damnatumq; esset Historiam Sacrosanctis Testamenti veteris voluminibus insertam in dubium vocare. Sed fabula illud totum est apud Poëtas, quod ex rebus veris, & verisimilibus conflatum opportuna constitutione, ac partium ordine continetur. Quod quàm sobriè, ac pudentèr in re proposita præstiterimus, patebit inferiùs.

Interpretes diuinarum litterarum increato afflati spiritu duplicem ijsdem sensum tribuunt, alterum, quem appellant litteralem, quo illudmet significatur, quod sonat Oratio, alterum mysticum, quo nempè aliud infertur à verbis quidem, ac rebus illis alienum, sed quadam similitudinis, & significationis cognatione affinem. Mysticum itèm in tria genera subdistinguunt, Allegoricum, quo illud, quod credimus adnotatur, Anagogicum, quo illud, quod speramus innuitur, Tropo-

logicum

logicum, quo illud, quod operemur præſcribitur. Per hos omnes gradus deducendum eſt glorioſum Iudithæ facinus, vt pateat ſole clarius, quàm idoneus à nobis rei delectus habitus ſit, quantoq; illa cum iudicio in noſtrum laborem translata fuerit.

In ſenſu igitur, qui ad litteram pertinet, mulierem animaduerti penès quam non temerè ambigas, quæ copioſiora fuerint, animinè, an corporis bona, quæ bonis corporis neutiquam vtendum cenſet, niſi cum Deo ſeruiendum eſt, ac ſaluti publicæ conſulendum, quæ nullis difficultatum ſcopulis territa in primis arduum, atq; incredibile opus aggreditur, & per quam felicitèr abſoluit, mulierem inquam, animaduerti, à qua viri pari pudore, ac fructu petere exempla debeant ſapientiæ, ac fortitudinis. Hinc prætereà in medijs amentium Barbarorum caſtris ſeruatam vidi à foemina pulcherrima pudicitiam; inde amore, ac luxu Imperatorem peſſundatum, deletumq; innumerabilem exercitum conſpexi; quibus ex rebus præcepta eruas, tùm nihil eſſe tàm arduum, atq; ab humana ſpe remotum, quod innocentes homines, ac Deo perchari fiducia, & virtute aſſequi, ac perficere minimè valeant; tum etiam Principes potentia, & præſidijs militaribus ſubnixos, cùm venenum laſciuæ libidinis ſemèl hauſerint, & rempublicam, & ſemetipſos in extremum diſcrimen deducere, ac ſinè periculo in locis munitiſſimis eſſe neminem, cui ſuorum ſcelerum mucrones immineāt. Pontificem inſuper obui-

um

um habui, pròut decet illum ordinem, de religione, ac ſalute populi ſollicitum, Patres ſapientes, Ducem vigilantem. Ad allegoricam ſignificationem referri fortaſsè poſſe arbitratus ſum, quod ad calcem Poëmatis vſurpaui, per Iuditham nempè ſanctiſsimam Virginem Deiparam præſignari, quæ ad hoc nata, vt ſerpentis hoſtis humani generis immaniſsimi caput contereret, gladio æterni Verbi ex vtraq; parte acuto de eodem victoriam longè glorioſiſsimam reportauit, & collapſam mortalium conditionem planè reſtituit. Ità D. quoque Fulberto Carnotenſi perſuaſum fuit; ità Caniſio ex Societate IESV Viro clariſſimo qui lib. 1. cap. 2. de B. VIRGINE plura, eaq; admodum luculenta in hanc ſententiam locutus eſt. Quæ quidem res percommoda videbatur, vt typus noſtræ ſalutis ſub amœnitate carminum vnicuiq; propoſitus ob oculos, tantiq; atq; adeò ſingularis Dei Opt. Max. beneficij memoria noua ratione hominum mentibus commendaretur. Tanti autem apud me ponderis huiuſmodi ratio fuit, vt cum D. VIRGINI MATRI omnia debeam, non alio me voto obſtringendum æquè putauerim, quàm Iudithæ decantandæ, quæ ipſam figura contingeret. Per Anagogicam notionem è gloria, quam re fortiter geſta conſecuta Iuditha fuit, non abs re eſſe iudicaui, ſi gloriam inferremus, qua poſt Tartareos hoſtes Deo auſpice profligatos in Cœleſti Hieroſolyma perfruemur. Quomodò verò profligentur, tùm in litterali intelligentia, prout

ſupra

ſupra oſtenſum eſt, tùm etiã in Tropologica exemplum mihi videbar nactus eſſe valdè ſplendidum, ac liberale. Cùm enim Bethuliam Aſſyrijs exercitibus circumuentam intuebar, animam quoq, humanam, Rhabano Mauro, Gloſſaq; egregiè adſtipulantibus, vndiq; libidinibus petitam, obſeſſamq; ſummo verſari in periculo veniebat in mentem. Cumq; Iuditham in Ciuitate principem fœminam diuina ope hoſtium Duci inferre necem, & copias validiſſimas manu Ciuium peſſundare animaduertebam, rationem itèm ſummam animæ partem Deo opitulante, atque inferioribus potentijs eius ſigna conſequentibus frequentem vitiorum aciem debellare poſſe commodiſſimè ſentiebam. Quæ omnia, antequam animum ad ſcribendum adijcerem, cùm cogitatione complexus ſum, tùm ſatis probè animaduerti ità ſe ſe habere, vt ſententiarum quoq; in primis vtilium, ſalutariumq; agregiè capax eſſe poſſet oratio (nam de dictione nihil erat mihi tunc deliberandum) etenim & Concilia erant inducenda, & ſuaſionum, ac diſſuaſionum adhibenda vis, & ſermones, preceſq; ſedulò elaborandæ. Quocirca cum mihi haud inania carmina in litterarium theatrum exhibenda forent, ſed præcepta potiùs, & exempla ad ciuilem, militaremq; vitam imbuendam magnoperè idonea, non leuem me vnà cum voluptate capere, atq; afferre fortaſsè poſſe fructum mortalibus putaui, ſi Iudithę victoriam tanta dignitate præſtantem Epico poëmate comprehenderem.

Huiuſ-

Huiusmodi fuere consilia nostra, quę si minùs probabuntur in vulgus, non ero magnoperè sollicitus, cum bonorum, atq; eruditorum hominum ratio habenda sit, quorum iudicio litteraria laus vniuersa continetur; formosa quippè, informiaq; in lumine distinguuntur; in tenebris ęqualia omnia.

Hactenus de nostraििitha locuti sumus; nunc Iuditham ipsam subijciemus in compendium redactam, quò faciliùs vno tota pateat intuitu. nam cum olim necdũ perfecto opere flagitantibus amicis singulorum librorũ argumenta scripserim satis liberalia, quemadmodùm ego cum ad ea recolenda animum adieci, atq; acriùs incubui singulis rebus singulas conferens, pleraq; vidisse me fateor neq; satis congruentèr inuenta, neq; apte disposita, neq; sibi oppidò consentanea, quę me anteà fugerãt, sic eadem legentibus vsui fore existimo, quò nimirùm, an meę defensionis ratio constet, facilè videant.

ARGVMENTA

Librorum quinque Iudithæ Vindicis afferuntur.

LIBER PRIMVS.

MEdia, Armenia, Cilicia, atq; Arabia post communem defectionem recuperatis, Assyriorum Regis Præfectus Holophernes formidabili apparatu Iudeæ

deæ quoque bellum intulerat, illud potiſsimùm indignè ferens, quod Hebræi à patrijs inſtitutis,& religione diſcedere recuſarent, ac Regem pro numine venerari. Quocircà Bethuliam Galilææ oppidum tùm natura, tùm arte munitiſſimum,quod ipſi primum obuium fuerat, vigeſimum iam diem obſidebat, neque Ciues quamquàm re frumentaria vterentur anguſtiùs, quicquam tamèn de priore conatu, atq; animi firmitudine remiſerant; cum nefarius hoſtis humani generis apprehenſa muliebri forma, interfectoq; in ſpeciem filio, atq; ad epulas planè compoſito, pauidam atrocitate exempli Ciuitatem concitauit, atq; in extremum ferè diſcrimen ſeditione rem deduxit, cumq; victualia ſuppetere vltra diem quintum neutiquam poſſent, de facienda tùm demùm deditione, niſi Deus opem ferret,coacti Principes decreuere. Eiuſmodi periculum ſpeculatus eſt Deus; tùm miſericordia in ſuos, ira in vtrumq; hoſtem percitus Fortitudini conſilium ſuum de ope ferenda Iudæis aperit, & continuò deſcendere iubet ad Iuditham, quæ Bethuliæ clariſſimis orta natalibus ad Simeonem ſuæ Tribus fontem, atque originem referebat, & marito ex humanis ablato iamdiù cœlebs,vti forma corporis inter cęteras præcellebat, ità prudentia, & ſanctitate morum in admirationem ſui excitauerat vniuerſos. Mandatorum ſumma hæc fuit, vt Fortitudo proximas regni calamitates, ac religionis in primis iacturam ob oculos Iudithæ proponat;diuinam omnipotentiam, quæ ſalutem

per

per infirmiora quoq; præsidia afferre valeat, ad memoriam reuocet, suadeatque, vt conuentum Holophernem, sibiq; eloquentia pulchritudinis conciliatum necet. Fortitudo per eas fores, quibus diuinis ad nos monitis patet egressus, quam celerrimè delabitur, Iudithamq; ægrè admodùm ferentem eiusmodi decreta, quę in perniciem religionis potissimum vergerent, sub imagine Abræ nutricis adoritur, atq; in sententiam perducere conatur. Iuditha magnitudine rei attonita, quo consilio, qua spe ducta tantum facinus suadeat, percunctari; Illa contrà causas nectere, ac maiorum res pręclarè gestas, proùt eximię pulchritudinis præsens pictura referebat, in memoriam reuocare, Iahelis pręsertim, quę Sisaram Chananęarum Imperatorem copiarum interemerat, & clauo caput terræ affixerat, nimirùm eiusdem sexus, proximiora enim exempla validiora sunt. Magnum deliberanti ea res attulit momentum. Itaq; precibus Deum consulit, deinde quia imago iam euanuerat, Abram vocat, queriturq; quòd in medio sermone discesserit. Abra, vt in nouo casu obstupescere, cur secùm expostularet, quid hoc rei esset, interrogare, ex quo satis probè Iuditha comperit commoueri se altiore vi. Quamobrem consilio rei gerendę cum nutrice communicato spe victoriæ in proposito confirmatur; nam cum initio, vt ab vnicè diligentibus in magnis periculis fieri solet, nè quid temerè Iuditha aggrederetur, pauida anus monuisset, facinus esse suprà vires, atq; adeò in ancipiti

conſtitutum, immò verò ad tentandam ipſius pudicitiam ſubeſſe dolum communis hoſtis, diuino repente afflata ſpiritu in eandem ſententiam ſe contulit, alumnæq; animos mirificè ipſa quoq; ſuppeditauit, haud delitescente vlteriùs Fortitudine, reiq; inuſitato ſplendore fidem conciliante. Igitur Iuditha accerſitis rectoribus Ciuitatis acri, eademq; modeſta ſuccenſet oratione, deditionem damnat, ſeq;, ne quid Reſpublica detrimenti capiat, quicquid periculi, ac laboris vſu venerit, lubenti animo ſuſcepturam pollicetur, ſequenti quippè nocte ad hoſtes progredi, ac tentare aleam proùt diuinitùs edoceretur, iampridèm firmùm, ac ratum ſibi affirmat; dumq; ipſi redeuntem opperiuntur, eorum eſſe difficultatibus labefactatam multitudinem in officio continere. Ea res admirationem excitat, ſpem ſuccendit, ſtudia, ſermoneſq; alit. Ephræmum acri ingenio virum, ac rerum experientia magnoperè exercitum Hieroſolymam ad hæc ipſa nuntianda, petendaq; auxilia Principes proficiſci iubent; iſq; adeò occulti tramitis adminiculis, atq; hoſtium in Caſtris tumultus à deſertoribus Angelis alieno tempore concitati euadit incolumis; illi enim tùm ad confirmandam deditionem, tùm quò pluribus inuentis, & conatibus ad victoriam comparandam inniterentur Aſſyrios quoq; in turbas diduxerant; nam cum diuturnæ militem moræ aduerſus hoſtem imbecillum, oppidulumq; tenuiſſimum tœdere cœpiſſet, ad principes non ſine contumelijs vndique confluebat,

Quod

Quod vt accepit Holophernes, antequam pestis manaret latiùs, maiestate imperij tutus in mediam seditionem irrumpit, furentium audaciam frangit, plerosq; nocentiores, & conscientia pauidos vinculis constringi imperat; cumque illud ocij vitium esse animaduerteret, quæsito consilio copiarum quietem laboribus redimit; nec non materiem è proxima sylua rescindi, ac turres, & machinationes, tanquam ad oppugnandam Bethuliam, confici iubet.

LIBER SECVNDVS.

IVditha nulla re deterrita diuinam opem vehementissimis precibus continuò implorat, deindè cum somnum magnitudine curarum multa iam nocte admittere neutiquàm posset, accersitis famulabus cilicium, vidualiaq; indumenta deijcit, & domesticum ingressa balneum tepentibus aquis, ac pretiosioribus vnguentis membra fouet; tùm amplissimo vestitu, cultuq; præter consuetudinem eximio innatam sibi venustatem auget; neq; auctor contentus Deus acceptam sibi mulierem, & magni operis ministram diuino quoq; adflat lumine, atq; immortalis pulchritudinis honore condecorat. His armis egregiè instructa vna comite Nutrice commeatum perexiguum deferente, ne damnatis à lege obsonijs contaminari cogeretur, ad ianuam oppidi proficiscitur, quò, vt in re noua, plebis conuenerat magna

pars

pars, & Iudaici exercitus Ozias Imperator, principesq; ac Seniores ciuitatis venientem opperiebantur, Excepere Iuditham frequentes, & quasi miraculo attoniti, dein continuò exeuntem faustis acclamationibus, ac studijs prosecuti sunt. Intereà vti statis temporibus ad res gestas vniuscuiusq; monstri recensendas fieri solet, Concilium malorum Dœmonum apud Inferos cogitur. Ibi Superbia, Inuidiaq; dum earum rerum gloriam, quæ in perniciem Iudæorum ab ipsis gentis incunabulis patratæ fuerant, vtraque sibi vendicat, mutuis inuicèm se contumelijs afficiunt. Iactabar enim Superbia æmulatione se diuinitatis Idololatriam instituisse, Hebræisq; idcircò plurimas clades intulisse, quoniam ea in re obtemperare quandoq; recusassent, prout eo quoq; tempore acciderat. Contra Inuidia eadem ad se referre, semperq; nouarum rerum ab se manasse primos motus. Ad sedandas huiusmodi furiarum contentiones, & iurgia paterna opus fuit auctoritate; aggressus est vmbrarum princeps, præstititque; nec non perficiendæ rei, ac Iudithæ conatus, quicumque forent, infrigendi Superbiæ negotium dat. Ipsa dimisso concilio rei operam datura in Galilæam quàm celerrimè reuertitur, atque in speciem conuersa Senis Vrsaci Hormum filium magicis artibus à patre imbutum per somnium adoritur, deque Iudithæ consilijs, quoad coniectura, & suspicione consequi potuit, certiorem facit, quò nimirùm Holophernem commonefaciat, necnon in venientem fœminam, et vniuer-

sam

sam nationem hominis indignationem accendat. Quibus pronuntiatis ita euanuit, vt Hormus intellexerit furiarum illam esse vnam sibi oppidò cognatarum. Ille vi spectaculi expergefactus, furensq; dum imperatis faciundis operam nauat, continuò mutatus Holopherni oppositum suadet; tùm miraculo attonitus in specum se abripit, consultiq; Dœmones respondere negant; Si quidẽ Superbia eodem temporis momento Michaëlem Cœlestium copiarum Ducem obuium habuerat, speque omni spoliata minis, flagrisq; per lacum Gomorræorum inuento aditu ad Inferos detrusa fuerat: neque secùs cętera monstra inopinato euentu, atq; hostis præsentia perterrefacta omnem audaciam exuerãt; Michaël enim Iudæorum rebus, penès quos victoria Dei iussu futura esset, ne vlteriùs aduersarentur, edicto, & comminationibus interdixerat. Iuditha sub ortum diei in radicibus montis exploratores hostium obuios habet; detinere illi, quę nam esset, quò progrederetur sciscitari. Contrà Hebrea fuga cõsulere se saluti; ad Principem clementiæ nomine satis sibi cognitum aditum quærere, orare, vt ad eum deducerent. Præstitere ipsi liberalitèr, vniuersa iam ad fauces viarum ob famam venustatis confluente multitudine, atq; vt missam diuinitùs collaudante. Vbi ad Imperatorem ventum fuit, benignè præter natura m excepta ocyùs se dominam, quam supplicem intellexit: Holophernes enim primo aspectu intimè captus adorantem erigit, pertimescentem confirmat, deq; aduentus cau-

sis

ſis impenſiùs interrogat. Ad hęc Iuditha metum exuere, nihil non ſperare, reſpondereq; ad mitiſſimum dominum idcircò ſe habuiſſe perfugium, quòd è pluribus argumentis neutiquàm dubitaret, quin Oppidum iam fame preſſum, mox vniuerſa regio vaſtaretur, idq; potiſſimùm ſcelera populi polliceri. Addit ad victoriam maximo vſui fore, quod acceſſerit; propterea nihil, niſi ab ſe monitus Imperator aggrederetur, neq; prohiberet, quominùs noctu exiret caſtris oratura Deum patrium; nam cum ab irato Numine vltio penderet, ab eo quoq; conſilia petere, & rimari oracula neceſſe erat, vt nullo accepto incommodo Perſę rerum potirentur: neq; de euentu dubitandum, cum monita, iuſſaq; Numinis interfuerint. Huiuſmodi rationibus conuictus Holophernes, tametſi Dijs quibusq; pręter Regem, quem vnum coli ab omnibus imperauerat, diuinos fieri honores vetuiſſet, furori tamèn cœco planè indulgens mulieris poſtulatis morem geſſit, & quòcunq; libuiſſet, commeandi, adorandiq; patrij Numinis poteſtatem fecit. Domicilium deindè egregiè inſtructum in Ærario pręſcripſit, miniſterium Baguæ ſpadoni mandauit, victum de menſa Imperatoria decreuit, quem tamen, cum eiuſmodi epulis prę religione veſci nefas eſſet, ſanctiſſima fœmina ſpecie, ne gerendis rebus id obeſſet, conſtantiſſimè refutauit. Ærarium ingreſſę ſpem Victorię confirmat oblata Heſter aulęis admirabili artificio prętexta, diſtinctęq; Hebręorum ſortes, & pericula, tùm ſalus, liberorumq; incolumitatem

tem è parentum exemplis animo præcipit. Cęterum neq; castris deincèps uagari, neque salutantium colloquia admittere, sed assidua precibus, atq; ad fontes extrà mœnia lauatum proficiscens placitum Deo tempus opperiebatur. Angelus intereà, cuius custodiæ ab ipso ortu commissa fuerat, è cœlesti armamentario accepto gladio, qui fortasse idèm fuit, quo post admissum exitiabile humano generi facinus ab ostio Paradisi voluptatis primi parentes eiecti fuerant, tanto alumnam studio tuebatur, vt nullum passa pudicitiæ detrimentum fuerit.

LIBER TERTIVS.

INtereà Ephræmus Bethulia excesserat, quod oppidum in Galilęæ finibus præcipiti loci natura, & saxis minacibus difficillimum Bethulus Chananęorum regulus turbatis olim tēporibus ad sui securitatē ędificauerat, deq; suomèt nomine appellauerat, peragrataq; Samaria, & locis rerum gestarū gloria claris magnis itineribus Hierosolymam cōtendit. Continuò vocatur Senatus frequens: exceptus Ephræmus humanitèr de rerum statu, de Iudithæ consilio sedulò differit: Patres matura inter se habita consultatione afflictis diuturna obsidione Bethuliensibus suppeditanda auxilia decernūt; Phineoquè admirabili prudentia, & fortitudine prędito, quamquam ętas ingrauesceret, parandarum rerum prouinciam deferunt; atq; vt inde exordium ducant, vnde omnium bonorū origo, & fons, ingressi templum tauro ope-

rantur, ac populi, & ſanctarum legum incolumitatem benigno Numini enixiùs commendant. Perfectis ſacris Phineus ſexcentos milites perſpectę, probatęq; ſuprà cæteros virtutis, cum ad nouos delectus habendos tempus minimè ſuppeteret, ex arce educit, vrbanos ſubſtituit vigiles, illos Bethuliam proficiſci iubet, eòq; frumenti copiam non mediocrem ſedulò transferendam adornat. Dum hęc parantur, Ephręmus Pontificia exceptus menſa quæcunq; ab initio belli Iudęę ab Aſſyrijs illati eouſq; ſecuta fuerant, à cœna roganti Principi narrat. Illa verò fermè erant huiuſmodi. Poſtquam Ocho Aſſyriorum, Perſarumq; Regi, qui ob morum cum priſco illo ſimilitudinē Nabuchdonoſorus quoq, eſt appellatus, vniuerſam propè Aſiam deſciſcētem Holophernes bello reſtituit, Deorum cultū aboleuit, ſacra Regi fieri imperitauit, in oppidis Idumeæ ſubſtitit, accitiſq, è prouincijs exercitibus, de Iudæis profligādis, delendiſq; crudeliſſimè cogitauit, eò in primis motus, quod ſoli ſuperſtitionem reſpuere, ſeq; armis defenderè auſi fuiſsēt. Propterea eiuſce nationis genus, mores, potentiam ex principibus viris exercitus ſui ſciſcitatur, quę omnia Dux Ammonitarum Achior, vt potè Iudaicarum rerum ex propinquitate finitimarum regionum nō ignarus luculenta oratione proſecutus eſt. At verò cum eſſe Deum ſummum cōſtanter diſſerit, qui & in Hebræos ſceleribus inquinatos animaduertat, & iuſtitiam, pietatemq; colentes tueatur, cuius ſi leges aſpernentur, victoriam penès Aſſy-

Assyrios fore; sin obseruent, omnem operam perditum iri, apud Imperatorem, cæterosque potentiores grauitèr offendit, quam ob causam vinctum illum Holophernes Bethuliensibus transdi iubet, vt eamdem cum hostibus aleam Fortunæ subeat. Paruere continuò satellites; in vincula coniectus est, raptusq; moerore vęcors Ammonita. Ignari rerum Bethulienses aduersùs hostes erupere, qui ne numero opprimerentur, alligato ad truncum Achiore, pedem celeritèr retulere. Hebræi iuuenem in oppidum deduxere. Omnibus admiratio eadem, sententiæ diuersę. Principes primò ambigui de captiui conditione, deq; causis fortunæ eiusmodi percunctari. Vbi satis probè constare creditum est abesse fraudem, liberalitèr accipere, detrahere vincula, hortari, ne spem abijceret. Ipse confirmato paulisper animo ab armis discedant, seq; hostium arbitrio committant, misericordia incensus vehementiùs persuadere. Vbi nihil proficere se intellexit, siquidem illorum fiducia diuina ope vniuersa constabat, si victoria potirentur, se quoque Mosaicis legibus subditum fore polliceri. Holophernes statuta die bellicum apparatum recenset, legionesque prò sua quamq; consuetudine armis atq; insignibus instructas non vsui magis, quàm ostentui ante se prętereuntes ex editiore loco per ambitionem spectat. Ea fermè erant centum viginti hominum millia, præter innumerabiles copias, quas ex prouincijs nupèr sub imperium redactis gentium terrori contraxerat.
Po-

Postridiè præmisso Bethuliam equitatu, cum reliquo ipse exercitu, commeatuq; subsequitur; leui prælio lacessitus hostem pellit; castra metatur; riuum sempiternum, quo Bethulia ab Australi plaga externis aquis alluebatur, intersecat, atq; in præceps deijcit; cumq; nec oppugnatione inacessibiles murorum minas posset diruere, neq; obsidione, aut siti consequi, post dies aliquot à speculatoribus Moabitis prò vetere nationis aduersùs Iudæos odio commonefactus in angusto rupium perennibus scatebris manare fontes, quibus obsessorum spes inniteretur, eò plerosq; audacissimos noctu mittit, qui tutò in fastigium prouecti, & sicubi claustra moenium clementiùs adirentur, maiora, quàm ius aquæ cogitantes, solertia defensorum detecti, pulsiq; sunt. Fontium tamèn vsum superueniente maiore suorum numero Bethuliæ ademerunt. Itaque omni aquatione popularibus interclusis, ac desperatione salutis seditionem excitantibus, de facienda post diem quintam deditione decretum fuerat, nisi perditis rebus à Numine consuleretur. His ab Ephræmo disertè narratis, Pontifex Ionatham, à quo Assamonæi Principes secutis téporibus originem deriuarunt, auxiliaribus cohortibus præficit, nec non gladio, galeaq; affabrè ędificatis donatum dimittit. Ille verò vbi haud minore cum admiratione, quàm voluptate nepotum res fortitèr gerendas, quibus vates galea coruscabat, oculis perlustrauit, vniuersa in preces effusa Ciuitate, Ephræmo comite Bethuliam contendit.

LI-

LIBER QVARTVS.

DVM hęc Hierosolymis geruntur, Sulussæ Numidarum Regis legati, quemadmodum plurimi è totò terrarum orbe Persarum potentia exterriti anteà fecerant, in castra ad Holophernem cum magnifica admodùm pompa se conferunt; agunt de pactionibus, amicitiaq; inter Ochum, & Sulussam statuenda, nec non annua tributa, expeditaq; terrestrium copiarum, & maritimæ classis auxilia pollicentur, & pretiosissimis muneribus Imperatorem donant. Ille aduenis pręter consuetudinem comitèr habitis (vt animum libidine immutatum crudelitatẽ, superbiamq; exuisse facilè cerneres) conditiones accipit, dein ob immodicum amoris aduersùs Iuditham impetum è consessu celeritèr euanescit, & curis grauiùs obsessus, quam Hebręos armis obsideret, ne Tribunos quidem belli causa ad colloquium admittit. Ducis exemplo exercitus ocio, & lasciuia deteritur, destitutisq; operibus, nihil minùs in bello agitur, quam de bello, nam cùm cæteri aut somno, aut ludo per meridiem indulgerent, solus Holophernes ab omni voluptate reliqua alienus suamèt libidine torquebatur. Custodi itaque mulieris Baguæ vulnus aperit, rogatq; vt opem ferat, neque enim (quod diuino consilio cautum fuit) vi quicquam tentandum videbatur. Pollicetur Hero ille suam operam, atq; ex aduentu Numidarum

occa-

occaſione accepta ſuadet, vt epulas apparet, Iudithamq; vnà cum illis ad cœnam acciri imperet, qua ratione cibo, potu, muſiciſq; oblectationibus expugnata fœminæ voluntate libidini ſatisfaciat. Vtile conſilium amanti viſum eſt, nullas moras interiecit, parendum ſpadoni edixit. Quapropter totis caſtris parari epulæ, arma luxui, Martem Veneri, & Baccho morem gerere. Speculabantur ex oppido Hebræi, atque eiuſmodi apparatum ad curationem corporum fieri ab hoſtibus opinantes, vt ſequenti die in oppugnationem moenium acriùs incumberent, incredibili metu, ac dolore affecti ſunt. Intereà temporis, cùm hæc attentiùs intueretur rerum moderator Deus, Hebrææ Reipublicæ Angelus princeps, ex ijs nimirum, quorum præſidio regna muniuntur, propiùs accedit, adoratoq; Conditore, clientum cauſam agere aggreditur; in ſummo periculo reliquias eſſe dilecti populi, de Iudithæ pudicitia comitia haberi; ſi Hebræi deleantur, qua ratione Chriſtum Dominum, quem ipſorum genti vniuerſa Prophetarum oracula promiſiſſent, collapſo hominum generi opem allaturum? mortalibus Coelo ſecluſis, ex quo prætereà fonte ſpem ſalutis hauriendam? Eo prò afflicta natione ita perorante, Angelus, qui Perſis præerat, tuebaturque, ſuos ex aduerſo defenſurus exurgit; orat ne miſerorum cędes fiat, quippè quam animarum quoq; interitus ſequeretur; ſpatium ad veritatem cognoſcendam, poenitentiamq; agendam concedatur; eſſe diuinæ clementię

igno-

ignoſcere; modum omnipotenti Deo neutiquam defuturum, quo Iudæorum populum, Iudithamq; periculo eximat. Ad ea benignè reſpondet Deus, quod ad Hebręos pertinet, Iudithæ opera proximè ſoluendam obſidionem, ac victoriã penès illos futuram; proptereà princeps gentis Angelus nihil omitteret, quod ad rèm gerendam pertineret; tùm luculentum de Chriſto futuro oraculum adijcit; Barbaros autem eò ſcelerum deueniſſe, vt miſericordiam nullam mereantur. Poſt eiuſmodi reſponſa diſcedunt Angeli, alter quidem lęto, alter ęquo animo ferentes, quod diuina ſapientia ſtatutum fuerat. Quiq; adeò Hebræorum fouebat genus, inferioris ordinis ſpiritum ad res commodè gerendas ſocium ſibi adſciuit, atq; ad Somnum ab inferis in caſtra hoſtium perducendum mittit. Ille ſumma, infimaq; prætergreſſus, & centro, ac terrę viſceribus quam celerrimè penetratis, à læua, & damnatorum poenis abſtinet, vergitque in dexteram, quà tùm illi expiabantur, quicumq; expleto tempore culparum luendarum è luſtralibus flammis ad felicitatem erant euaſuri, tùm bonorum domicilium colebatur (hunc Abrahæ ſinum appellabant) in quo cum futuræ libertatis, & gloriæ oraculum inſontes animæ opperirentur, apud eas pauliſpèr immoratus proximam Iudithę victoriam prępnuntiauit, Dauidiq; in cauſa fuit, vt Deo repentè plenus vindicem fœminam ſummis laudibus ad Coelum prouexerit, perq; omnem hominum memoriam clariſ-
ſimam

ſimam fore vaticinatus fuerit; nec pleraq; non attigerit de rebus noſtrorum temporum commodam ex hoc Poëmate occaſionem nactus. Intereà ad Lethen fluuium, qui inter hunc, atq; expiandarum animarum locum medius fluit, Angelus dormientem Somnum reperit, excitat, lethęis armatum liquoribus in caſtra progredi iubet, quà ille infectis ex præſcripto potionibus rerum omnium immemor ſopore iterùm deuinctus eſt. Hęc dum à ſuperioribus poteſtatibus geruntur, Baguas blanditijs, & pollicitationibus Iudithæ pudicitiã in diſcrimen adducere conatur, eamq; ad ſolemnes epulas iuſſu Imperatoris inuitat. Illa tametſi in ſuam perniciem omnia parari ſatis intelligat, nihilominùs commota diuinitùs, & ſecura ſui, egregiamq; ſibi occaſionem non omittendam rata, lubens aſſentitur, atq; ad conuiuium opportunè profecta vniuerſorum oculos admiratione pulchritudinis, elegantiarumq; perculſos in ſe conuertit. Epulæ ibi, compotationesq; largiſſimæ (illa tamen abſtinente) ad multam noctem perductæ ſunt, inſtitutiq; cantus ad amoris igniculos gelido pectori ſubijciendos; allato demum poculo, in quo Cyri Perſarum regis res geſtæ ſignis operoſioribus cælatæ collucebant, plurimùm vini exhauſtum eſt, ac cœna clauſa. Quapropter ebrietate, ac ſomno victi pleriq; omnes in ſua quiſq; tentoria paſsìm auferuntur. Holophernes verò graui, ac profundiſſimo ſopore colligatus ſtratis decumbit. At Iuditha, quæ ſola iam reliqua erat in cubiculo, emiſſa ad cuſto-

custodiam liminis Nutrice, diuinam opem vehementiùs efflagitat, ſignum de Cœlo accipit, incredibiliq; auſu proprio Imperatoris enſe Imperatorem obtruncat. Caput deinde ſtratorum velaminibus inuolutum ferente Abra, & nemine præ ſomno aduerſante, Bethuliam reuertitur.

LIBER QVINTVS.

PAulùm aberat à moenibus Iuditha, cum primo aſpectu intercedentibus tenebris nequaquàm cognita non leuem ſuſpicionem cuſtodibus incutit, quorum imprudentia miſerabile facinus penè admiſſum eſt, ac Ciuium ſeruatrix prò hoſte habita propè à ciuibus interempta: deinde ſuamet ſe voce prodens incredibili omnium applauſu portis recipitur, atque ex editiore tumulo, tanquam è ſuggeſto, ſuſpenſa, & ſollicita concione ſine vllo corporis, aut animę detrimento voti compotem ſe factam eſſe memorans caput immaniſſimi hoſtis tepenti ſanguine adhuc rorans proponit ob oculos; quidq; adeò reliquum ſit ad Aſſyrios opprimendos, egregiè docet. Mirari vniuerſi, ac lętitia exultare, Ozias præ cęteris incredibilem Iudithæ virtutem pleno ore celebrare; cumq; iam inſtaret dies, caput hoſtis, quò barbaris apertiùs pateret, moenibus affigi imperat, & copijs (quarum Ducum catalogum in Poëmate videre licet) quàm maximo poteſt ſilentio, ex oppido eductis, vbi primum ex

angustijs spatium est nactus, aciem instruit, dispositisq; ab dextera , & sinistra equitibus, peditatui medium locum tribuit, qua ratione constitutis ordinibus, vt ad omnem euentum firmiores forent, luculentaq; oratione accensis, confidentissimè in hostes properat. Primos quosq;, quibus vigiliæ ducendæ fuerant, somno oppressos trucidat. Vt propiùs accessit, signo per tubicines ad terrorem imparatis inferendum dato, castra maximo impetu inuadit, portisque per audacissimum quemque celeritèr occupatis, in medium vallum irrumpit. Expergefacti Persæ; proùt erant inermes, quantùm præuius sopor, & præsentis mali facies patiebatur, improuisam aduersariorum aggressionem sustinere conati sunt. E quibus Vsbo ęmulatione potentiæ infensus Holopherni pluribus aduersùs eundem exoneratis contumeliarum tormentis, Hebræos quoq; conuicijs proscindit, dumq; in hos irruit, nullo inflicto vulnere, ne dùm re memorabili perpetrata, transuerberatur. Eius arma, spoliaque in primis insignia prò victoriæ omine hastis infixa in trophæi speciem eriguntur; iuxtà plurimi hostium ferro conficiuntur. Ingrauescente iam cęde ad Imperatorem excitandum confugitur; eoq; minimè respondente, miratus silentium Baguas in tentorium irrumpit, atq; Herum, quem voluptate fessum arbitrabatur, obtruncatum reperiens, Hebræa nusquam erumpente, facili coniectura consequitur flagitij culpam penès illam esse. Qui dolor, vlulatusq; spadonis fuerit, haud facile dictu est.

Cala-

Calamitatem proximi cognouere; ille equi casu oblati pernicitate adiutus saluti consuluit, siquidèm in mentem venit monitum se in somnis ab Osyride Ægyptiorum Idolo, vt inde pedem reuocaret, quò nimirùm ad Ochi cędem in vltionem violati eiusdem numinis seruaretur. Peruulgata re, famaq; tanti facinoris in omnem stationem delata, spectato præterea capite, quòd è muris oppidi pendere iubebatur, fatali socordia, & metu circumuenti Persæ arma abijcere, haud castris se continere, terga turpitèr vertere. Ozias nemine resistente immisso equitatu palantes persequi, & sitim Ciuium obsidione collectam hostili sanguine extinguere. Nobilissimi quiq; hostium cum infimis iacent, morientium casus varij, genera cędium diuersa. Inter cœteros Amazonum Regina, Cedrastusq; Arabs, dum importuna contentione hic amatam defendere, illa amantem reijcere conantur, gladijs se inimicorum miserè confodiendos tradunt. Interea Ephræmus, & Ionathas ab Hierosolymis cum auxiliaribus copijs propiùs accedunt; Baguam inconsultiùs fugientem Ephræmus, qui præcesserat, obuium habẽs de tumultu, qui audiebatur, percunctatur. Ille vbi se intelligit in manus hostium incidisse, fretus peritia sermonis collecto animo Hebręum se esse simulat, & quasi partam victoriam Hierosolymitano Senatui nuntiaturus, spolia, quibus induebatur, à se detracta militi Assyrio mentitur. Fraus Ephræmum nequaquam fefellit; Baguam tamèn enixiùs orantem dimisit incolumem: Tum superuenien-

ueniente Ionatha gloriæ auidi, quæ labi cunctatione videbatur, neque ſatis inimico homini fidem habentes, quàm celerrimè ad reliquias hoſtium delendas contendunt. Primus è regio exercitu occurrit adoleſcens nomine Dorilus Holopherni in primus charus: maternum illi genus à Phrygiæ regibus, quanquàm è ſtupro; pater in exercitu militabat, qui occulta vi penè præſcius futurorum, vt imminentes fermè caſus Natura præſentit, filium ſuæ originis ignarum tùm demum docuerat. Poſtquàm immenſæ ſtragis turbine ipſe quoque ſenior abſumptus eſt, puer, quem ille paulò antè in ſe recepto vulnere ſeruarat incolumem, è vaſta exanimorum corporum ſylua ſublatum humero patris cadauer in proximos lucos memorabili pietate humandum ferebat, cum aduentare Ionatham intelligit, ſupremęq; operę dilecto corpori præſtandæ ſpe deiectus, ſagittaq; fortuita interceptus eſt. Caſum intueri potuit, non prohibere Dux Hebræus, auditaq; ex ore pueri breuiter re, cùm in extremo ferè ſpiritu coflictaretur, collaudataq; charitate humo vtrumq; mandari iuſſit. Hormus item, cùm manes ab Inferis euocaturus in ſpeluncam ſe cõtuliſſet, vt ſenſit adeſſe hoſtes, erumpere conatus, interclusus eſt, nec ſine monſtris, ac portentis demùm confoſſus conſentaneum vitæ exitum inuenit. Sub hæc Ionathas Oziam aſſecutus coniunctis viribus, larga ipſe quoq; palantium ſtrage ſaturatur; nec non Torgum equitum magiſtrum, qui Aſſyrios vnus dilabentes retinere conabatur, mente,

quaſi

quaſi terrore quodam panico ſubitò conſternatum ingenti vulnere è mundo tollit.

Obiecta proponuntur.

ATQ; hęc imago Iudithæ noſtrę librorum eſt, in qua quæcunque ad animam, formamq; Poëmatis ferè pertinent, tum dilucidè, tum ſatis breuitèr collecta ſunt. Quæ verò illi hucuſq; inter differendum obiecta comperi (quoniam nunc demùm pro Iuditha dicendum eſt) vel materiem reſpiciunt, vel formam. Quæ formam, ad hæc capita reuocantur.

Cùm actio primo loco occurrat Epico Poëtæ cõſideranda, obijciunt me feciſſe contra leges, quod facinus doloſum, nequè boni moris decantandum ſuſceptrim.

Tùm ad perſonam deſcendunt, negantq; fœminam ritè prò Heroë conſtitutam eſſe.

Tranſeunt deinde ad relationem quam actio, perſonaq; huiuſmodi ad Poëſim habere debeant, neq; è re vera, atque ex hiſtoria in primis ſacra conflari Poëma poſſe concedunt.

Mox in Epiſodia mouentur, damnantque incrementa, decrementa, & mutationes. in quam ſententiam cum plura obiecerint, omnia tribus quæſtionibus abſoluemus.

In materia non linguam, non ſtylum prætereunt. Aduerſus quas omnes obiectiones quandoquidèm mihi defen-

defensio suscipienda est, atq; iniuria meo ab opere propulsanda, vana, & futilia dimittere egregium censui, cùm mihi animus suprà omnem contumeliam natura sit, & mirificè tùm me laudari existimem, cùm ab improbis condemnor.

Prima obiectio refellitur; operis Iudithæ honestas sedulò expenditur.

PEtunt primo loco accusationibus caput rerum; Iudithæ facinus verè facinus videri posse; rem doli, mendacijq; plenam, neq; abesse fœminam à flagitio, quæ flagitij periculo se exposuerit, peccandiq; ansam Holopherni prebuerit, & peccantem mori coëgerit. Nam cum Tragœdia, & Comœdia, quid fugiendum sit tùm in re politica, tùm in œconomica, & familiari proponant sedulò, Epopoeiamq; ad vtrumq; vsum tradere oporteat, quod imitemur, opus in Epico Poëmate neq; probi moris, neq; boni exempli ob oculos ponere non modò prudentèr parùm, verumetiàm aduersùs artem fecisse, quicunq; fecerit, iudicandus est. Quæstio hęc ad moralem Philosophum, ad Theologum plurimùm pertinet. Ego vtriq; facultati innixus obijcientibus, quoad potero, satisfaciam.

Opus boni moris ad Poëtam Epicum pertinere cùm iudi-

iudicant, vsq; adeò mecum oppidò sentiunt, vt qui secùs fecerunt, aut senserūt, eosdem subijciendos esse Platonis legibus censeam, & de republica exterminandos. Is enim talis esse debet,

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Pleniùs, ac meliùs Chrysippo, aut Crantore dicat.

quiq; non ad voluptatē modo, sed ad vsum quoq; Poësim instituat, neq; gloriā quęrat ex ijs rebus, in quibus non erubescere nefas est. In quam sentētiam quidèm superiore quęstione cum de nostris consilijs egimus, nonnulla attigimus. In hoc igitùr quoniam cū aduersarijs conuenit mihi; nullus contentionis superest locus. At si in Iudithæ facto, quod eiusmodi fuisse existimabam, mea me fefellisset opinio, illud profectò grauitèr ferrem, doleremq; vehementèr cōtumeliam me prò laude quæsiuisse. Sed planè magnæ me recreant, & reficiunt auctoritates: nam Iudithæ factum video in sacris litteris laudatissimum, apud Patres celeberrimum, in omnium seculorum, scriptorumq; monumentis admirabile. Omitto Historiam Biblicam Spiritu sancto dictante conflatam, vt potè suprà omnem auctoritatem, atq; aleam iudicij: at agatur humanitùs; petant Augustinum aduersarij Serm. 228. in append. 66. Consulant Hieronymum ad Furiam; Cōueniant Zonaram; Videant Canisium de B. Virgine: & alios, proùt alio loco fusiùs. Mihi pro renata satis sit Ambrosij Vnius è 3. de off. lib. in Iudithā Elogium afferre, quo nihil luculentius, nihil illustrius extare

tare posse constanter puto. [Ecce tibi (inquit) Iudith se offert mirabilis, quæ formidatum populis virum Holophernem adijt Assyriorum triumphali septum caterua; Quem primò formæ gratia, & vultus decore perculit, deinde sermonis circumscripsit elegãtia. Primus triumphus eius fuit, quòd integrum pudorem de tabernaculo hostis reuexit. Secundus, quod fœmina de viro reportauit victoriam, fugauit populos consilio suo, horruerunt Persę audaciam eius. Vtique (quod in duobus illis Pythagoricis mirantur) non expauit mortis periculum, sed & pudoris, quod est grauius bonis fœminis non vnius ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidauit. Stetit inter cuneos bellatorum fœmina, inter victricia arma secura mortis; Quantum ad molem spectat periculi, moritura processit, quantum ad fidem dimicatura. Honestatem igitur secuta est Iudith, & dùm eam sequitur, vtilitatem, inuenit; honestatis enim fuit prohibere ne populus Dei se profanis dederet, ne ritus patrios, & sacramenta proderet, ne sacras Virgines, viduas graues, pudicas matronas subijceret impuritati, ne obsidionem deditione solueret. Honestatis fuit malle prò omnibus periclitari, vt omnes eximeret à periculo Quanta honestatis auctoritas, vt cõsilium de summis rebus sibi fœmina vendicaret, nec principibus populi committeret; Quanta honestatis auctoritas, vt Deum adiutorem prę sumeret, quanta gratia, vt inueniret.] Hęc ille. At cùm Ambrosius tantus vir, tàm sapiens, tàm san-

ctus adeò Iudithę factum ex fine proposito, ex opere laudat, vt meam suscepisse defensionem videatur, quid mihi nullius auctoritatis homini agendum sit, neutiquàm video. Quoniam tamen fortasse aliquid aduersarij sibi expetendum superesse existimant, ad singula descendere non recusabo.

Dolum, mendaciumq; in eo ponunt (illud primum obiectionis caput erat) quod se Iuditha simulauerit è Ciuitate fugam arripuisse, atq; ad exercitum venisse, vt Ciuium arcana patefaceret, modumq; Holopherni potiundi oppido commonstraret; neq; inscia, etenim labia ad fallendum dolosa à rerum Domino postulauerat; quòd Israëlitas grauissimè deliquisse, ac propterea iusto Dei iudicio perdendos mentita fuerit; quòd Holophernem per mediam se Hierosolymam deducturam promiserit; quòd se à Deo idcircò missam, vt ea nuntiaret, affirmauerit, quòd Holopherni quęcunq; placuissent, se facturam spoponderit; quòd deniq, vniuersa actionis vis in fraude consistat,

Vt respondeam, duo de mente sanctorum Patrum videntur in primis statuenda, alterum non omnia, quæ vera nequaquàm sunt, continuò mendacia, & dolos esse iudicanda; alterum licere aliquandò nobis sine crimine occultare veritatem velle, mentiri neutiquàm velle. Ad primum apologi, & parabolæ referuntur, quarum adeò familiaris, & frequens apud Syros, Hebræosquè vsurpatio fuit, vt vel ipse Dei filius, qui adeò bonus

eſt, vt habitibus, & moribus hominũ obſecundare nõ dedignetur, & vnũquemq; in eius voluptate capiat, ijſdem vſus ad informandam Eccleſiam ſuam ſępiſſimè fuerit. Res citrà controuerſiam omninò eſt; quod ſi negotium faceſſat alicui, cęteris omiſſis vnum conueniat Auguſtinum, in eo, quem de mendacio libellum compoſuit. At ne ipſi quidem Iuriſperiti ſimulationem interdùm carere poſſe culpa diffitentur; nã in l. 1. §. Labeo ff. de dolo malo ſic habetur. Poteſt ſine dolo malo aliud agi, aliud ſimulari, ſicuti faciũt, qui per eiuſmodi diſſimulationem deſeruiunt, & tuentur ſua, vel aliena. Quod ſi hęc inter vitia locum habẽt, profectò omnes Poëtę, Prophetęq; damnandi ſunt. Prò ſecundo auctoritatem D. Thomæ 2. 2. q. 110. ar. 7. firmam habemus: Immò verò vniuerſa Theologorum ſchola conſentit pręcepta affirmatiua neque ſemper, neq; vbiq; neceſſitatem obſeruationis ingerere. Itaq; pręceptum de ſimplici, apertaq; loquendi formula, cum ſit affirmatiuum, aliquam exceptionem admittere neceſſe eſt, neq; eos, quibus ius aliquod à Deo indultum ſit, in primis obſtringere. Duobus autèm modis occulere poſſumus veritatem ſine mendacij nota, alter eſt, cum pars orationis à nobis proditur, pars animo retinetur; alter cum totam quidèm rem narramus, ſed ijs verbis, quæ plures interpretationum formas poſſunt ſuſcipere, & ad varios ſenſus traduci. Plura in hanc ſententiam videre eſt apud Michaëlem Salonium in eo, de Iuſtitia quem ſcripſit, libro. Plura apud Gregorium de

Valen-

Valentia in 2. 2. diſpu. 5. q. 15. de Theo. Ad hęc capita pertinent varia dicendi genera, varij modi, quibus aliud voce exprimitur, aliud animo conceptum eſt, myſtici, prophetici, amphibologici, allegorici, ironici, formæ orationis vt plurimùm tropicę, aut ęquiuocę à Dialecticis appellatę, iuxtà quas plura in ſacris litteris vſurpari comperimus. D. quidem Auguſtinus libro ſuprà citato contrà mendacium ſumma contentione perſuadere ſatagit Iacobi factum, cùm Eſau ſe eſſe ſimulauit, non fuiſſe mendacium, ſed myſterium. Aſſentitur D. Thomas 2. 2. quæſt. 111. ar. 1. fictiones illas, quę ſignificant, aliquid, non eſſe mendacia. Chriſtus quoq; ſuprema veritas apud Lucam, cùm diſcipulis Emmauntem contendentibus comitem ſe adiunxiſſet, finxit ſe longiùs ire, nullam tamen doli culpam (nefas) ſubijt; illud enim ſimulauit exteriùs, quod in animis diſcipulorum fieri interiùs volebat innuere; quippè qui quęlibet potiùs quam D. Ieſum, adeſſe cogitabant. Quomodò ad hanc formulam, atque adeò ad ſuam mentem Iuditha quoq; locuta fuerit, deinceps ſingillatim breuitèr aperiemus.

Primo loco cum à popularibus ſuis fugiſſe ſe inquit, Gloſſa, Rabanus Maurus, Hugo Cardinalis pręfiguratum effugium Chriſtianorum, cuius mentio eſt in monumentis D. Epiphanij, in Vrbem Pellam ab Hieroſolyma, priuſquam à Tito Cęſare dirueretur, myſticè ſentiunt; niſi fortè & Machabæorum fugã in deſertum. Alij fugi, hoc eſt, feſtinaui, aut noctu veni fugientis inſtar; nam

uam ità acceſſit, vt Aſſyrij occultè acceſſiſſe putare poſſent.

Quod ſuorum res arcanas aperire hoſti ſpoponderit, ad famem illud referendum, quod re præſtitit. Conſumpturos autẽ Ciues ex decreto ſacra Vaſa, quò ſaluti publicę in tanta cibariorum inopia conſulerent, ea eſt amplificatio, quæ indicat non effectum, ſed cauſam, tanquàm in ea neceſsitate poſitis incolis, vt ea decernere oporteret, niſi celeritèr ſubueniretur. Contingere etiam potuit, vt aliqua hac de re conſultatio, aut ſaltèm ſermo habitus fuerit.

Quo aditu poſſet Holophernes obtinere Bethulienſes, ſe oſtenſuram diſſeruit. ironicè dictum. Id oſtendit porrò Iuditha, cum caput ipſius amputatum in oppidum tulit. obtinuit Holophernes, cum in ſumma parte Ciuitis ſuprà omnes ipſius caput poſitum eſt. Neq; vir vnus ex Aſſyrio exercitu cecidit, intrà mœnium ſcilicèt ambitum, vel alia ratione quapiam ad mentem loquentis. Per mediam quoq; Hieroſolymam verè deduxit, ſeù triumphali pompa caput eius afferendo, ſeù rei fama, & viri nomine ad gloriam victoris in pęanibus decantato.

Hebræos grauiſsimè deliquiſſe, diuerſis illud pleriſq; temporibus vſu venit. in deprædationem dandos, non ea tamèn tempeſtate, ſed vel ſub Græcis, vel ſub Romanis.

A Deo ſe miſſam, nihil veriùs; vt ea nuntiaret; nimirum

mirum famem. cętera, ad quæ missa fuerat, prodere non tenebatur.

Iusiurandum, quod vsurpauit, Lyranus fuisse negat iusiurandum, neq; enim per Deum iurauit, sed per animam Ducis, & Regis. Lorichius Adamarius simulationem iuramenti appellat. Carthusianus iurasse verè, & ex animo sentit, si quidèm iuramentum in principum animam pronuntiatum, cum à Deo eiusmodi excellentiam accipiant, & proximi auctoritate sint, in Deum ipsum referri videtur. Illud autem Iuditha, vel ad ea, quę vera dixit, vel ad cognitum sibi sensum direxit.

Non quicquid Holopherni placuisset se facturam respõdit, sed quicquid Domino. Amphibologicum hoc Baguas retulit ad Holophernem, Iuditha ad Deum. Prætereà cùm mulierem Baguas inuitauit ad epulas, turpitudinis postulationem tacitè subintellexit; illa ad apertam partem responsum dedit, ad reliquam nequaquàm dedit, vel certè conditionem quampiam animo condidit, qua honestatem tueretur. Eadem ratione si qua præterea sunt in verbis Heroidis nostræ, quę negotium facessere videantur, ad sanam interpretationem redigi debẽt.

Quod verò exprobrant vehementèr de Iudithę conscientia, quæ data opera fallere Holphernem voluerit, labiaq; dolosa idcircò à Domino pastulauerit, tanquam excusationem non accipiat, superiusq; allatas interpretationes vltrò refellat, id verò nullam nobis curã importat. Noui ego Psalmistam detestari labia dolosa, noui vltio-

nem

nem Numinis; ſed Iudithę non illa mens fuit; cauſam, non effectum fortaſsè voluit, labiaq; optauit, quę ob pulchritudinis elegantiam, ſuauitatemq; ſermonis eorum ſimilitudinem gererent, quæ vulgo fallere conſuerunt, aut certe effectum quoq; ſed ratione planè diuerſa; nàm fallere Holophernem neutiquàm voluit, falli quidèm ipſum, aut potiùs capi, oblectariq; ad eum finem, quem referemus inferiùs, laudabilitèr appetiuit

Cęterùm ſi interfuit vlla fraus, quod minimè concedendum puto, ea Iudithæ neutiquam vitio danda, quippè quæ hoſtis. iuſto in bello inſidię iuſtæ. Dolus, an Virtus, quis in hoſte requirat? Vulgatum. His philoſophus aſſentitur, Theologus non reclamat.Ità Ioſue ad oppidum Hai inſidijs eſt vſus. ſtat pro nobis D. Thomas 2.2. q.40. art. 3. Nec Philo Iudæus 2. de Cherubin libro valdè diſſentit, inquit enim. Quotiès ſapiens mendacio fallit hoſtem propter ſalutem ſuæ patriæ, inofficioſam rem facit officioſè. Hùc etiam facere videtur, quod Oreſtes apud Sophoclem in Electra profitetur, cùm de inimicis mendacio circumueniendis verba facit.

Nullum puto verbum malum, quod lucrum habet.

Addo; omne à Deo ius Iuditha obtinuerat in Holophernem, quemadmodùm Moyſes in Pharaonem. Cōſtitui te Deum Pharaonis; quemadmodùm Hieremias in reges, & regna. Ecce conſtitui te hodiè ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſſipes, & ędifices, & plantes. Itaque Iudithæ integrum fuit cùm

hoſte

hoste agere, quibus artibus libuisset, atque amplissimum, gloriosissimumq; facinus ad suum arbitratum absoluere.

Erat secunda obiectionis pars peccandi se periculo exhibuisse Iuditham nostrã; in Castra Infidelium formosissimam fœminam ætate florentem, quasi ad prostituendam pudicitiam se contulisse: Quæ enim apud barbaros honestatis est cura? Quæ apud impios peccandi non est licentia, & libido? Qui amat periculum, peribit in illo. Vrgent sanè ista; Verùm ex hoc quoq; scopulo, Deo dante celeritèr elabemur. Sunt, qui affirment iustis rationibus fuisse permotam, quarè crimen vitare se posse arbitraretur; ea potissima, vt Holophernem ad iustas nuptias secum celebrandas alliceret. Nos in huiusmodi sententiam pace auctorum nomen nostrum minimè scribimus, nulla enim in sacra historia de nuptijs mentio, nullum argumentum extat; neque videtur existimandum quidpiam sibi gerendum Deo inspirante proposuisse diuersum ab eo, quod gessit; quod tamèn popularibus suis reticendum censuit, ne infectum riderent, factum maximè mirarentur; seque placandi hostis causa profectam, vt opinari possent, permisit. Placet diuino afflatam, confirmatamque spiritu, ac vtriusque Victoriæ propemodùm certam, vt vitę, ita pudoris periculum neglexisse, cùm vtilitatem publicam, cùm legum tutelam, cùm Dei honorem, maiora, potioraq; bona, sibi prò fine sanctissimè ob oculos collocasset. Neq; ab huiusmodi deliberatione longiùs abest exemplum Virginis

ginis Antiochenæ à D. Ambroſio 2. de Virginibus libro relatum. Diſceptabat intrà ſe Virgo illa memorabilis fortiſſimo animo prędita, quid agendum, cùm aut Dijs ſacrificium facere, aut in lupanar duci deberet; reſpuit ſacrificium, lupanar amplexa eſt; an peccauit? nequaquàm. Non pudoris (inquit Ambroſius) elegit iniuriam, ſed Chriſti recuſauit. Hoc ipſo Iuditha quoquè non excelſi modò, uirilis, Heroiciq; animi, verum etiá religioſiſſimi fuiſſe probatur, quòd in ſuperius bonum intenta deſpexit inferius.

Tertium caput affine huic. Anſam (inquiunt) peccandi Holopherni prębuit; nam ſuper innatam pulchritudinem formam arte, verba ad irretiendum hominem blanda quæſiuit, tùm collapſi, captiq; aduersùs chatitatem & corpus, & animam iugulauit. Acutè arguunt. At Iuditha non peccauit. Ornatus, cultusq; corporis de ſe ipſo non ingerit culpam. Naturam imitari ars poteſt ſine peccato. Ita ſentiunt D. Thomas 2. 2. queſtione 164. art. 2. Caetanus, ac Theologi, & Canoniſtę omnes, ſiquidèm occaſiones huiuſmodi remotę in ſchola appellatę, ſi abſq; prauitate animi ſint, noxam minimè inducunt. Eloquentiam ſtudio comparatam ſi quis dicat vitium eſſe, vitium is erit. Noluit per iſthęc Iuditha Holophernem delinquere; voluit acceſſum ad eius gratiam tantiſpèr ſibi parare, quòad voti compos ipſius cęde fieri poſſet. Si cauſam coſideremus, fuit ornatus cùm virtute, iuſtitiam, fortitudinem, religionem, pietatem prę ſe-

præſeferens. Ambroſius idem ſępiùs allatus 2. de Virginibus libro luculentèr adſtipulatur. Iudith ſe, vt adultero placeret, ornauit, quam tamen, quia hoc religionis amore faciebat, non libidinis, nemo adulteram iudicauit. Vno verbo, ex diuina diſpenſatione, inſpiratione, atq; adeò iuſſione id fecit, tantumq; abeſt peccaſſe Iudithā, vt Deus ipſe à peccati labe longè alieniſſimus eius auctor, adiutor, miniſter ornandæ fuerit. Ità enim habetur in textu. Contulit etiam ei Dominus ſplendorem. Haud ſecùs ex auctoritate imperantis licuit Oſeę filiā fornicationum, ac Petro oſtenſum, indicatumq; eſt. Quod Deus mundauit, commune ne dixeris: nam quę de iure poſitiuo peccata ſunt, ſi diſpenſatio legislatoris adſit, non ſunt peccata; ratio enim peccati lex, quę à iubente virtutem habet. Quod ſi peccauit Holophernes, ſi ebrius, ſi laſciuiens interfectus eſt, ipſi imputetur, qui optima inſtrumenta ad peſſimum finem retorſit, cum ſecùs facere in eius poteſtate foret. Cæterùm qui auctore Deo bella ſuſcipiunt, perſonamuè publicę poteſtatis gerunt, cum vel ipſa morte in ſceleratos animaduertunt, vtuntur iure ſuo. Non deeſt auctoritas D. Auguſtini in monumentis de ciuitate Dei; neq; Doctoris Angelici 2. 2. quæſt. 40. ar. 1. Plura ad facti huiuſce honeſtatem vindicandam Nicolaus Serarius recenſuit in Commentario ſuper librum Iudith. Nos opportuniora ex ipſius armamentario in noſtram arenam tranſtulimus.

Confutatur ſecunda obiectio; Juditha, quamquàm fœmina, pro Heroë aptè conſtituta defenditur.

EPicam perſonam (de ea loquor, quę principem locum in Poëmate obtinet) Heroëm appellant, cuius excellentię parem eſſe fœminam negant, quam ſummos Philoſophorum, Platonem, atq; Ariſtotelem ab Heroica virtute reieciſſe ſatis conſtat. Virum illum eſſe debere, ac ſuprà virum, qui humanæ propè Naturę vires excedat, & Deo ſit proximus. Sic Homerum, ſic Virgilium exẽplo docuiſſe. Ad hæc primum reſponſionis caput eſt, in Platonis monumentis me nuſquã reperiſſe collatã huiuſmodi in fœminas contumeliam. Si ſecùs oſtendant aduerſarij, aut manus dabo, aut ſententię rationem interpretari conabor. Inuenio quidem in 5. de Rep. lib. Mulieribus æq; ac Viris res bellicas eſſe tribuendas in 7. de Leg. Sarmatarum fœminas vna ratione cum maribus arma tractare: Lacęnas Virgines gymnicis artibus exerceri. Hoc addit etiam vir ſapientiſſimus documentum. Et puellæ quidem ſaltare, pugnareq; cum armis conſueſcant, mulieres autẽ caſtra mouere, ordines ſtruere, atq; arma ſumere, & diſponere, ſi nullius rei gratia, attamèn ſi res cogat, vt cùm in militiam viri omnes proficiſcantur, poſſint ipſę interìm, ſi quid aduerſi acciderit,

Ciui-

Ciuitatem defendere; Vel si tanta hostium multitudo agros inuaserit, vt necesse sit mulieres quoq; prò Ciuitate arma capere, quorum nihil est, quod non facilè euenire possit. Ex his patet, quę Platonis sententia fuerit. De Aristotele durior est quęstio, quippe qui Platonis ęmulus, atq; in rebus omnibus cauillator, nisi aliam ob causam, at studio saltem contentionis fœminas ab armis, atq; adeò ab omni administratione Reipublicę longè seclusit. Sed imbecillitatem naturæ considerans corporum ille rationem habuit, Plato animorum. Vbi verò necessitas vrgeat, haud satis scio, an suam Aristoteles Ciuitatem dirui ab hostibus malit, quàm à mulieribus communiri, defendiq; Quicquid sit de sententijs tantorum Philosophorum, rationibus agendum, & rem interiùs explorandam existimo. Igitur quæ sit notio eximij vocabuli, cuiq; conueniat tantum nomen, videamus.

De Heroibus multiplices sanè fabulas superstitiosa antiquitas commenta est. Nomen aliqui ab Hera deriuant quæ alijs est terra, vt Martianus Capella tradit; alijs fortuna, vt Pyrrhus apud Ennium.

Vos ne velit regnare Hera, quidue ferat sors,
Virtute experiamur.

alijs Iuno, nempè aër vt testatur Augustinus lib. de Ciuit. Dei x. c. 21. Hoc videlicèt mysticum significante fabula, quod aër Iunoni deputatur, vbi volunt Heroas cum Dęmonibus habitare. Et lib. 7. Inter Lunę gyrum, nimborum, ac ventorum cacumina aërias inquiunt esse ani-

mas, sed eas animo, non oculis videri, & vocari Heroas & Lares, & Genios. Nonnulli à dicendo, & facundia dictos putant, quod ἔρειν est dicere. Quidam ab amore virtutis ἥρον τ̃ ἀρετῆς prout Orpheus, qui virtutem Heroum matrem appellauit. Platò in Crat. ἀπὸ τοῦ ἔρωτος vocatos Heroas litteris mandauit, atq; ad amorem vel Deorum in mulieres, vel Dearum in viros, à quibus procreati Heroës crediti sunt, Ethymologiam vocabuli refert. De Heroum conditione omnes consentiunt eos humanitatis limites excessisse. de modo duplex opinio est, altera Philosophorum, altera Poëtarum. Philosophi ex magnitudine absolutissimæ virtutis, ac rerum gestarum, non ex natura, Heroas constituunt, quippè qui virtutis ductu omnẽ mortalitatis apicem infrà reliquerint. Ægidius quidem Romanus in eo, quo fortassè lucul ẽtius nullum de Regimine Principum extat volumen, Virtutem Heroicam esse inquit hominum diuinorum, propterea quòd per eam quispiam bonus vltrà modum hominum cõstituitur, & esse aliquid honorabilius virtute, magisq; suprà virtutem, quam sit virtus. Cum Macrobio, & cum Plotino eã appellat exemplarem, cui, si bonum, quod sui est diffusiuum, cõstat ex integra causa, nihil deesse necesse est. Hæc in primis de mente Aristotelis qui lib. Eth. 7. testimonium Homeri affert de Hectore luculentum. Poëtis Heroes, vt plurimùm fabulosi, Deorum, aut Dearum filij, proùt suprà memoratum, mortales quidèm, sed qui post mortem

tem in Deorum numerum referantur, atq; ex auctoritate Trismegisti aëris purissimam partem incolant suprà nos, vbi nubibus nullus est locus. Quod cum Augustini testimonio superiùs allato egregiè cōsentit. Quam fabulam an eruerint è Sacra Genesi, cuius dicendi modum minimè percipiebant, dubium relinquitur, ait enìm sacer textus ingressos esse filios Dei, ad filias hominum, quæ cum genuerint, Gigantes ortos à seculo viros famosos: quasi Heroas planè describat. Lucian. in 3. Mort. Dial. Heroëm definit, qui neq; homo est, neq; Deus, & vtrumq; simul. Placet Mazzonio viro doctissimo in Defensione Dantis Heroas Poëtis esse, qui sola virtute bellica excelluere præferoces, profligandorum exercituum, euertendarum Vrbium auidos, ad excidium perniciemq; humani generis penitùs comparatos, qualem Horatius in Arte Achillem describit.

Impiger, iracundus, inexorabilis acer,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Propterea vbi fatis concesserunt, atq; in Deorum naturam transierunt, quos lædendi, nocendiq; mores, atq; instinctus in humanis habuere, eosdem nequaquam exuere fabulantur, sed inter malefica referri numina, quæ vt Ioui benefica, ita Veioui, qui noxiorum Princeps, caputq; est, subiciantur. Illos fuisse potissimum qui Argum nauem conscenderunt, atq; ad Vellus aureum Colchis auertendum profecti sunt, ac deindè qui bello Troiano interfuerunt. Cleomedem verò Astypa-

lensem

lensem, qui 72. Olympiadem, Regnum Darij Hystaspis filij, Tribunitiam Romæ potestatem primò institutã attigit suo æuo, ex oraculi responso vltimũ Heroum fuisse Pausanias refert. Quod me quidẽ in eam sententiam adducit, vt existimem apud Poetas eorum temporum ad Heroém constituendum virtutem bellicam satis non fuisse, sed deliramentum illud requiri, vt ex Dijs, aut Deabus geniti fuerint; nam neq; qui ad Ilium militarunt vsq; ad Cleomedis tempora superuixerunt, & deincèps fuere, qui priscorum famam rerum bello gestarum amplitudine superarunt. Porrò primos post Diluuium humani generis propagatores Deorum appellatione receptos fuisse à rudioribus primùm, deindè ab omnibus inualescente superstitione credendum est. Quamobrèm ex Xenophonte in Æquiuocis regiarum antiquissimi principes familiarum, atq; Vrbium conditores appellati Saturni sunt, primogeniti ipsorum Ioues, nepotes Hercules, propterea quòd florente ætate pollerent viribus, & bellis gerendis operã darent; quiq; ex his sunt geniti, Heroés. Saturnorum verò patres Cœli sũt dicti, vxores Rheæ, Cœlorum autem coniuges Vestę. Quę satis apertè patent ex epitaphio Nini, qui Assyriorum regum Vetustissimus memoratur. Quod quidèm huiusmodi fertur,

MIHI PATER IVPITER BELVS. AVVS SATVRNVS BABYLONICVS. PROAVVS CHVS SATVRNVS ÆTHIOPS. ABAVVS SATVRNVS ÆGYPTIVS. ATAVVS COELVS PHOENIX OGYGES. AB OGYGE AD MEVM AVVM SOL ORBEM SVVM CIRCVMLVSTRAVIT SEMEL AC TRICIES ET CENTIES. AB AVO AD PATREM SEXTIES ET QVINQVAGIES. A PATRE AD ME BIS ET SEXAGIES.

Horum

Horum autem Cœlus Ogyges eſt Noë, Saturnus Ægyptius Cham, Saturnus Æthiops Chus, Saturnus Babylonicus Nemrod; qui omnes illuſtrium familiarum, Vrbium, regnorum fundamenta iecerunt latiſſimè. Tametſi eoſdem neget Genebrardus aut Coelos, aut Saturnos, aut Ioues ab ipſorum popularibus appellatos, ſed hęc eſſe Gręca nomina, & figmenta fabuloſæ nationis aſſerit. Qua ſententia infirmari maximè allatum Nini Epitaphium videtur, quod fortaſsè à Grecis ipſis longo poſt tempore commentum eſt. Quocircà, cum ceſſaſſe aiunt Heroum genus, ſic opinor accipiendum, vt eorum deſijſſe ſucceſsiones, & propagines inferre velint, qui ab Dijs huiuſmodi, hoc eſt auctoribus regnorum originem ducere credebantur, qua ratione cenſeri poteſt Cleomedem Aſtypalenſem Heroum nouiſsimum à Pauſania fuiſſe numeratum. Quod ſi poëtica facultas anguſtis illorum Heroum antè Cleomedem terminis concluderetur, nulla mediùs fidiùs iam diù ſperare poëmata potuiſſemus. Et ſanè Latini, qui vt plurimum ab antiquis fabulis diſcedere auſi non ſunt, in huiuſmodi ſuperſtitione fuiſſe videntur. Poſteriores vero, quoniàm ex multiplici virtute gloriam adepti ſunt, ad Herois phloſophici naturam propiùs accedunt. Ex his in Homero, cęterisq; Vatibus priſci ęui obſeruandum, cùm aliquos, qui eximia probitate, atq; excellentia virtutis quadam præditi ſunt, Heroas appellant, Philoſophorum ſequi ſententiam, cum pręferoces

roces, quos diximus semideos, sectari suam. Achilles Homero poëticus Heros; Hector etiam philosophicus. Idem videtur posteriore ætate æmulatus fuisse Lucanus, cui Pompeius absolutissimè virtutibus communitus, Cęsar ferox, & formidabilis formatus est. Meliùs in hac parte meo iudicio recentiores, qui in eam personam quam summo loco exhibuerunt ad imitandum, vtrumque Heroëm, remota diuinitatis fabula contulere, neq; illum eo nomine dignum putarunt, cui pręter virtutem ferocitatemque militarem reliquarum virtutum præsidium deesset. Et nos quidem, apud quos ex agnitione veritatis illa fabulosa rationem verisimilis amiserunt aliam viam inire debemus, neq; à nostris Heroibus ornandis abhorrere, qui longè vberiorem laudem, quàm Gręci illi, aut Troiani gestarum rerum magnitudine meruerunt. Nobis igitùr, qui in antiquorum aut superstitione, aut casu non sumus, ità videtur statuendum, Heroëm, qui principem locum teneat in Epopœia, fortitudine militari præstare in primis debere, deinde humanę propemodum naturę conditionem cęteris quoq; virtutibus anteire; qualis ferè Gottofridus à Torquato Tasso institutus. Seù dici mauis Heroicam virtutem cumulum esse omnium virtutum quendam absolutissimum, quarum militaris fortitudo sit princeps. Hoc fundamento posito videndum est, muliebris sexus tantę perfectionis particeps, & capax esse nec nè possit; quod cum negent aduersarij, atq; inani plane ratione probare conten-

contendere, cumq; nec mente adeò constare fœminas calumnientur, nec tenerum, ac gracile corpus Heroicis subeundis labribus idoneum putent, nos firmissimis in contratiam partem iactis fundamentis, vt sibi ipsi respõsiones eruant, negotium postmodùm relinquemus. Fœminas à virtute in vniuersum repellere, à salutis est ianua repellere, cùm sinè virtute in supernam patriam ingredi nefas sit; idq; adeo absurdum est, vt Hęresim manifestam contineat, muliebris quippè sexus, vt rationis est compos, ità beatę fruitionis est capax. Quæ quidèm quæstio pendet ex ea, quam sancti Patres instituere, an nimirùm mulier ad imaginem Dei facta sit, quam Benedictus Peretius vir doctissimus Commentariorum in Genesim lib. 4. persequitur luculentèr; nam probato in fœmina ęquè, ac viro impressam esse imaginem Dei, nulla virtute interdici fœminæ continuò probatum est. Neq; dubitatur, quominùs in fœmina imago Dei itidèm luceat, cùm ipsius anima rationis, immortalitatis, libertatis eiusdem sit, qua potitur anima viri; tametsì D. Paulus perperàm à nonnullis expositus, ubi fœminam dicit imaginem viri secùs sensisse videatur. Basilius quidem vir summus homilia in Genesim 10. ita id explicat dèsertis verbis, vt nihil optari possit illustrius; inquit enim. [Habet & mulier nihil minùs, quàm vir, quòd ad imaginem Dei facta est; honor vtriq; naturę nihilò dispar, ęquales virtutes, vtrique in agone virtutis decertanti propositum par pręmium,

mium, consimilis vtriq; peccanti decreta comminatio. Nolim dicat mulier, imbellis sum, & infirmę conditionis.] Hęc Basilius. At enim verò ipsũ Numen in vniuersitate rerũ mari fœminam prętulit, quam puram quippè creaturam super Angelos collocauit, ea fuit infirmioris sexus Virgo parens. Vsqueadeò diligendas fœminas cēsuit, dilexitq;, vt fortiorem sexum confunderet. Immorari pudet in re, quæ fidem contingit, ne aduersarios, quibus nihil infensus sum, in suspicionem infidelitatis adducam. Sed mittamus Theologos, & cum Philosophis disseramus. Virtutem Aristoteles lib. Eth. 2, animę habitum esse definit. Idem 7. eiusdem voluminis lib. belluarum nec virtutem esse, nec vitium tradit; igitùr ratione vtentium, ex quo fit, vt neq; virtus à corpore pendeat, & cùm sexus muliebris ratione vtatur, eidem ad virtutem accessus sinè controuersia latissimè pateat, neque enim sexu distinguuntur animę, sed ratione, eiusdemq́; sunt habitudinis, quę foeminas, ac quæ viros informant, vel profectò defectu dumtaxàt corporis inferiores. At quoniàm fortasse respondebunt aduersarij ab ijs virtutibus se foeminas non secludere, quibus salutis necessitas continetur, quęquè à Deo vnicuique ad arbitrium tribuuntur, in alijs plerisquè recensendis, quæ principem intèr morales locum obtinent, paulispèr immorabor, quantùmq; in vnaquaq́; profecerit muliebris sexus, breuitèr demonstrare conabor, vt exploratum sit nihil obesse, quominùs omnium potiantur, atq;

atq; vbi naturæ perfectionem, quæ ad corpus pertinet, non assequuntur, virtutis, quę bonum est animi, consequi possint.

Iustitia omnium caput, & quędam rationis est regula, quamobrèm cùm foeminæ ratione vtantur, cur rationis itèm regula vti non possint, in mentem non venit. Vtuntur autèm, nam siuè de suum vnicuiq; tribuendo, siuè de rerum commutatione agatur, quibus partibus de mente Aristotelis iustitia constat, exempla continentèr sub oculos cadunt. At neq; ab ea quidem parte foeminæ absunt, quæ forum respicit, & iudicandi facultate continetur, etenim ad Didonem ille.

O regina, nouam cui condere Iuppiter Vrbem,
Iustitiaq; dedit populos fręnare superbos.

Iudicauit Debora Hebręos; tot reginæ sapientissimè, ac iustissimè ius dixerunt, & fortasse dicunt.

Iustitiæ prudentia est comes; neq; enim dijudicare, quid iustum sit, fas est nobis sinè prudentia. Hæc verò aut priuati, aut publici commodi procuratione constat, vt in lib. Eth. 6. docet Philosophus; in priuato Oeconomiam, in publico Politiam fines habet. In priuata prudentia quantùm foeminę polleant, benè moratę, institutęq; veteres Respublicę docuere, in quibus illæ rem domesticam, dum viri ciuilem curarent, tanquàm propriam administrandam nauitèr suscepere. Nostra ipsa ętate in Germania, Galliaq; foeminæ rei familiaris curam gerunt, mares bellorum, & fori. Gentium Aposto-

lus, vt domus curam habeant, monere adoleſcentulas Titum iubet. Salomon pluribus matronā ſuam ad procurationem priuatæ vtilitatis inſtituit. In hoc cum aduerſarijs nullum nobis diſſidium intereſt; quamobrèm autèm ſit in republica adminiſtranda, non video, cùm proportione quadam domus, reſq; publica eędem ſint, vel ipſo Apoſtolo teſte. [Qui domui ſuę præeſſe neſcit, quomodò Eccleſiæ Dei diligentiā habebit] magna enim domus reſpublica eſt, domus autèm parua reſpublica. Aiunt, quod in Politicis Ariſtoteles, infirmiorem corporis habitum imbecilla conſilia mulieribus impertiri, atque idcircò Reipublicę minimè idonea. At Ægidium conſulamus; ex eo, quòd infirmior foeminarum natura ſit, ille quidèm conſilium earumdem citiùs perfici profitetur, cum ex eodem Ariſtotele debiliora velociora ſint. Quocircà conſilium muliebre in caſu improuiſo, repentinoq; certius, ac ſalubrius eſſe, quam virorum, interdùm poſſe neutiquàm dubitat. Quid verò prohibet in quacunq; re eſſe eiuſmodi quominùs poſſit, ſi pręſertim, proùt pares non ſumus, mulier mulierem habitu corporis antecellat? Vt autem exempla omittam vetuſtiſſima, & longè petita, nonne Amalaſuntham Gothorum, Theodolindam Longobardorum reginas ab Hiſtoricorum monumentis, à D. in primis Gregorio laudatiſſimas, Matildem latè tota Italia imperantem omnibus ſeculis memorabilem Italia experta eſt? nonne Blancam Ludouici Regis, eius, qui in Diuorum numerum eſt relatus

latus, parentem Gallia, atq; Isabellam Hispania Reginas coluere? quæ quidèm quid omisere, quo ciuilem, Heroicamq; prudentiam testari possent? sin minùs extinctis fidem adhibent obiectores, in viuentes plerasque oculos figant. Ego, quas calamo prætereo modestię ipsarum rationem habens, silentio veneror.

Transeamus ad Temperantiam, quam potissimam, propriamq; fœminarum virtutem qui à foeminis segregauerit, nihil ei meherculè reliquum erit, quò miserrimum sexum ampliùs spoliandum suscipiat. nam cum in primis honestatem feriat intemperantia, vt in 2. Eth. lib. Philosophus profitetur, illud maxime ingenuis mulieribus curę esse compertum est, vt pudori, honestatiq; cõsulant, & à noxijs voluptatibus vehementiùs abhorrentes innocentiam castissimè tueantur. Plures proptereà inuentæ sunt, quæ vt pudicitiam defenderent, aut se ipsas, aut contra se conantes viriliter interfecerunt, scriptoribusq; luculentis egregiam laudandi materiam, documentum posteris suppeditarunt.

Ostensum de virtute in genere sumpta, deq; tribus potissimis virtutis speciebus. Reliqua est fortitudo, quam etiàm cùm ex eo, quòd cæterę virtutes fœminis inesse probatũ est, ab ipsis neutiquàm alienam esse contendimus, videtur quibusdam ratio non esse par. Hanc virorum propriam nullo iure ad fœminas pertinere. Quarè negent, hanc afferunt rationem; etiamsi virtus in anima sita est, idonea tamen instrumenta ὄργανα à Phi-

Philoſophis appellata ad opera fortitudinis obeunda cùm eiuſmodi ſexui natura non dederit, ſatis exploratum eſſe hoc illi decus, ornamentumq́; communem parentem negare voluiſſe, maribus indulſiſſe. At Deus non ſinat, ne clariſſimum genus à tanta contumelia quoàd potero, vindicetur. Infirmiora quidem fœminarum corpora, quàm virorum conditione ſua eſſe non inficior, ſed pleraſq;, vt par viris robur obtineant, aut meliore fato ortas, aut educatione, & longa laborum adſuetudine conſecutas eſſe negari non poſſe iudico. Nota Lacænarum, Germanarumq; mulierum inſtitutio & mos. De poſtremis Tacitus luculentèr. [Ne ſe mulier extrà virtutum cogitationes, extraq; bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonij auſpicijs admonetur, venire ſe laborum, periculorumq; ſociam, idem in pace, idem in proelio paſſuram, auſuramq;.] Egregiam ad fortitudinem, fœminarum educationem Maro exhibet in Camilla.

Hic natam in dumis, interq; horrentia luſtra
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat teneris immulgens vbera labris;
Vtq; pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculaq; ex humero paruæ ſuſpendit, & arcum:
Prò crinali auro, prò longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.
Tela manu iam tùm tenera puerilia torſit,

Et

Et fundam tereti circùm caput egit habena,
Strymoniamq; gruem, aut album deiecit olorem.

nec non alibi de eadem.

Non illa colo, calathiſue Mineruæ
Fœmineas aſſueta manus, ſed prçlia virgo
Dura pati, curſuq; pedum præuertere ventos.

Itaq; vniuerſum muliebre genus quamobrèm exulare non cogatur à fortitudine, exempla multarum faciunt, quę fortitudine claruere. Hanc circà terribilia verſari, & bellorum in primis periculis contineri ab Ariſtotele didici, eoſq; tàm qui conſtantèr patiuntur, quàm qui agunt audentèr, fortes appellari. Si prioris generis optemus exempla, quid fortius, quid ſublimius in contemnenda morte, tolerandaq; Lucretia, Portia, Cleopatra fuit? Quę cum eorum temporum opinio fuerit ad magnitudinem animi pertinere ſibi potiùs mortem conſcire, quàm vel maculam turpitudinis, vel indignum tolerare ſeruitium, mortem ſibi fortiſſimè conſciuerunt. Quis Epicharim Cornelianam libertinam, venalemque fœminam, quę Neronianę coniurationis conſcia, ne proderet reos, vitę infamiam honeſto exitu ſuperauit, viris fortiſſimis non ęquauerit? Mitto Virginum, & puellarum globos, quę pro Chriſto Domino cruciatus acerbiſſimos ingenti vigore animi pertulerunt, mortem conſtantiſsimè ſubierunt. Si poſterioris, quem Amazones glorioſiſſimę bellatrices ad ſe non rapiunt? quem non mouet Tomyris, quæ Cyrum Perſarum regem nullibi

victum

victum vicit, interemitque? Quem Zenobia, quę Aureliano Augusto negotium tantoperè facessiuit? quem Boudicea, & aliæ strenuissimę innumerabiles. Agrippinę profectò apud Tyberium nihil æquè conflauit inuidiam, quàm quòd in Germaniam maritum secuta manipulos interuiseret, signa adiret, munia Imperatoris complura fortitèr vsurparet. Ergò & foeminæ fortitudinem colere possunt, ergò & bellica laude clarescere, neq; mulierem minùs Viraginem dictam crediderim, propter eaquòd in viri naturam virtute transeat, quàm quià de viro sumpta fuit. Immò quæ in humanis fortiora videntur, muliebri vocabulo pręnotantur. Fortis est, vt mors dilectio. Quòd si singulis foeminę virtutibus potiri & possunt, & solent, haud sanè intelligo, quid prohibeat, quominùs omnibus itidem potiantur, atq; ad Heroëm Epici Poëmatis constituendum personam afferant luculentam, cùm eis præsertìm (quod summum requiri videbatur) bellica fortitudo planè non desit. Quę quidèm tametsì deesset omninò, at apud Poëtas inualuit vsus, obtinuitq; consuetudo, ea gloria foeminæ ne priuentur; Homerusq; Pantasileam, Maro Camillam, recentiores Clorindam, Marphysam, Bradamantem aptè in armis esse incredibili cùm voluptate, ac verisimilitudine perfecerunt. Quod alijs licuit in re falsa, iniquissimè agatur mecum si mihi in vera minimè liceat. Certè cùm virtutes omnes in Iuditha floruisse compertum est, tùm potisśima cõmendatur in sacra Historia fortitudo, eademq;

eademq; à Sanctis Patribus tantoperè celebratur, vt fortis illa mulier, quam tanto ſtudio Rex ſapientiſſimus inquirebat, Ioditha noſtra omninò fuiſſe videatur. Idē ille Ambroſius, cuius adeò in pręcedenti capite mentionem fecimus, tot, tantisq; præconijs Iudithæ virtutes, fortitudinemq; potiſſimùm laudandas ſuſcepit, vt nihil addi poſſit. nam præter elogium, quod ibi attulimus, hęc habentur in lib. de Viduis. [Sed nec fortitudo bonę viduæ deeſſe cōſueuit, hęc enim vera eſt fortitudo, quę naturæ vſum, ſexus infirmitatem mentis deuotione tranſgreditur; qualis in illa fuit, cui nomen Iudith, quæ viros obſidione fractos, perculſos metu, rabidos fame ſola potuit à colluuione reuocare, ab hoſte defendere.] Non aliena ſunt Auguſtini præconia ſer. ſuprà citato 228. in append. 66. [Licuit mulieri exarmare iuuenes, & debellare victores, ſollicitam defendere Ciuitatem, & barbarũ ſubuertere bellatorem] ſubſcribit Hieronymus ad Furiam. [Vincit viros foemina, & caſtitas truncat libidinem.] nec Zonaras non ijſdem veſtigijs inſiſtit. [Nobis verò nequaquàm prætereunda ſunt, quæ à maſculi animi fœmina, ſeu Viragine Iudith geſta ſunt, quæ Holophernem ipſum perdidit, vrbem verò ſuam, populumq; vniuerſum ſeruauit] longum, moleſtumq; eſſet omnes patrum panegyricos recenſere. Neque in caſu noſtro ad machinam cofugiendum eſt, Iudithęq́; opus ad miraculum referendum; nam quę naturæ viribus fieri queunt, proùt docet D. Thomas 3. par.

quæst. 43. ar. 4. à miraculi conditionbus remota sunt
Porrò, an viribus naturæ fieri possit, vt solus quispiam inter cõfertos hostium cuneos Principem aggrediatur, & quandòq; de medio tollat, vades esse possunt prætèr Scęuolam, homines è vilissima plebe duo, qui Henricos tertium, quartumq; munitissimos Gallorum reges nuperrimè interfecerunt. Quod si obijciatur mares fuisse, at superiùs allatæ rationes assequuntur, vt idem foeminis commune sit; nàm postremis sub Henrico quarto de Regno bellis memoriæ proditum est Centurionem stipatũ militibus à strenua adolescentula ferro fuisse transuerberatum, quæ ab eo pudicitiæ contumeliam sub fide hospitij passa fuerat. Haud igitur miraculum Iudithę opus, quod vires naturæ non supergreditur, quamquàm mirabile. Cæterùm quòd diuina ope adiuta rem patrauerit, satis norunt aduersarij nihil sinè ipsa à mortalibus posse fieri, stultiq; admodùm esse consilij virtuti propriæ suas victorias, & parta imperia accepta referre. Si Cyrus intumescat, & suam sibi arroget magnitudiné, reclamat Deus per Isaiam, seq; illi omnia in manus dedisse palàm declarat. Si vendicare suis armis audeat Alexander Orientis imperium, eum Iosephus mendacij conuincet, quippe qui Numen illi sempiternum sub imagine Pontificis ipso exordio expeditionis apparuisse ac victoriam pollicitum fuisse testatur. Quocircà cùm Dauide sentiendum; Non in curribus, neq; in equis, sed in nomine Domini fidendum esse. Atqui, ne prisci

qni-



quidèm vates in medijs Idololatriæ mēdacijs educati ab huiusmodi veritate abhorruerunt, suos quippè Heroas cùm diuinitatis participes, tùm ope numinum innixos, nec sinè fortasse machina, Homerus præsertim, rem gerere confinxerunt.

Neq; verò adeò nostris argumentis officiunt obiecta duo, quæ subindè fieri videntur; alterum etiamsì muliebris sexus de sui natura Heroicam virtutem possit induere, non tamèn consentaneum rationi videri, vt Viri foemina locum gerat, imperfectioresq; ad exemplum virtutis perfectioribus exhibeantur, alterum, quamquàm Poëtę mulieres Heroica virtute præditas induxerunt, non ijs tamèn principem locum tribuisse; Nàm quod ad primum attinet, immò nihil ad oblectationem esse potest admirabilius, quod tantoperè quæri ab Aristotele memoràuimus, quàm fœminam super viros excellentia amplissimi facinoris eminere, nihil ad permouendos animos comparatius, quam puellam obijcere, à qua viri desidiæ, ingnauięq; coargui, atq; exemplum virilis animi petere debeant: nàm quotus quisq; est, qui ęmulationis stimulos non intelligat? prærreptamq; sibi a fęmina laudem luctu minimè prosequatur? In re sumus exploratissima, quam nihil est opus vel exemplis, vel auctoritatibus comprobarę. Quod ad secundum caput spectat, si reliquis adhùc poëtis ex delectu rei vsu non venit, vt primi Herois loco foeminam constituerint, nobis quidèm venit; neq; ingenia ęquum videtur super-

ſtitioſis finibus coërcere. Quàm verò ſapientiæ parens Heroëm fecit, nihil eſt cùr nos aut pudeat, aut pigeat accepiſſe. Eſto igitur Herois noſtra eiuſmodi Heros, à quo viri Heroicę Virtutis inſtitutum, & documentum capere non erubeſcant.

Adhùc verò ſupereſt, quod negotium faceſſat aduerſarijs. obſeruat, inquiunt, Seruius in Virg. Ænid. lib. 7. fœminas præliantibus eſſe fatales, vt ferè exercitus, qua parte ſtant, illam profligari, ac deleri contingat, tamquàm Deo indignante marium illas munia vſurpare; ſic Troianis Pentheſileam, Rutulis, Camillam, Antonio Cleopatram noxias fuiſſe. Quocircà Iuditha Heros vt vt ſit, at mali ominis ſuis erit, at eligi neutiquàm debuit. luculentèr ſanè, ſed rei exitus refellit obiectum. Nunc aliò tendendum eſt.

Tertiæ obiectioni ſatisfit; ex Hiſtoria, eaq; ſacra ritè deriuari poëma poſſe demonſtratur.

QVæſtionem profectò arduam, ac ferè inextricabilem deincèps nacti ſumus, quę iam eruditorum omnium defatigauit, ac propè exhauſit ingenia; nàm Iudithę facinus ex virtute ſit, Herois mulier ritè perſonam induat; at videtur multis ex hiſtoria, præſertìm ſacra, conflari poëſis neutiquàm poſſe, atq; hoc peccatum

catum summum in Ioditha mihi obijciunt. Nos vt rationem assequamur eius rei, de qua tantoperè dubitatur, triplicem disputationem instituendam censemus, proùt triplex obiectio est; neq; enim ex huiusce dubitationis anfractibus expedita esse nobis euasio poterit, nisi paulatìm, & quasì per membra progrediendo ad intimas partes penetremus, teneamusq;, quid illud sit re vera, in quo difficultas posita est; nàm hic error fortasè plurimos comprehendit, vt disceptent, nec qua de re disceptent, satìs exploratum habeant, ex quo fit, vt nodum magìs, ac magìs implicent explicando. Obijciunt, inquàm Iudithæ facinus esse rem veram, esse Historię mãdatam, esse sacris litteris consignatam. Videbimus itaq; primo loco, an verum per se positum idoneum esse Poëseos argumentum valeat; deindè an verum historiæ cõmissum; tertiò an verum sacrosanctis Bibliorum traditum monumentis. Qua quidèm in re cum Aristotelis præceptis aduersarij innitantur vt plurimùm, nos reliquis omissis argumentis, quęcumq; siuè ab ipsius interpretibus, siuè ab alijs, qui magna cum altercatione hãc quęstionem exercuerunt, in aciem deducta sunt, in vno Aristotele consistemus, ipsorumq; Aristotelem nostro Aristotele confutare conabimur, & veritatem potiùs inuestigabimus, quàm patronos quæremus.

Negant itaq; verum quoquo modo acceptum in Poësim transire posse, Aristotelemq; assertorem præferunt, qui in secundo Poëtices capite verbis planissimis asseuerat,

rat, non res, quæ factæ sunt, sed quæ fieri potuerint, à Poëta esse scribendas. Poëtam, qui circà vniuersalia versatur ad Philosophum propiùs accedere, Historico relinquere singularia, proptereàq; magìs esse rerum, quàm carminum opificem, atq; effectorem. Hęc ratio, atq; auctoritas summi Philosophi tanti fuit, vt plerosq;, & quidèm magnæ eruditionis viros in eam opinionem adduxerit, vt quò longiùs abessent à vero, falsum ipsum subiectum Poëseos esse aptum, iustumq; mordicùs defendere non dubitauerint, vtq; scyllam vitarent, impegerint in charybdim. Si hoc est, verumq; in poësi vllo modo non habet locum, profligati sumus.

Vt quàm minimo negotio fieri possit, ex huiusmodi scopulis elabamur, ipsam Poësos ab Aristotele traditam definitionem primò afferamus, deindè Epici etiàm Poëmatis colligamus. Omnem Poësim ille imitationem esse affirmat, quę vel diuersas res, vel diuersis instrumentis, vel diuersa ratione ad similem veri quidpiam referat. Quocircà Epopœiam quoq; sub imitationis genere comprehendi necesse est; actionemq; humanã eximiam, admirabilem, ac iustæ magnitudinis, quę in prosperiorem fortunam vergat, ad rationem verisimilis narrando exhibere. Ex hisce philosophi definitionibus, & progressu sermonis satis liquidò colligi potest verũ ad aliquam Poëseos partem pertinere; pertinet enìm ad Dithyrambicam, in qua veras Deorum secundùm Ethnicos, Heroumq; laudes Poëta tibijs imitatur, quos sibi quęq; pro

arbi-

arbitrio nouos fingere nefas est. Verum igitur à Poësi omninò non exulat. Quę si ratio in Dithyrambica locum habet, quamobrèm in Tragœdia Epopœiaq;, quarum materies ferè communis, sunt quippè omnes meliorum imitationes, habere non debeat, in mentem non venit, neq; enim licet nouos Deos, nouos reges, nouos casus, magnos pręsertim, atq; atroces prò libidine somniari; Quod si fiat, viri sapientes aut minimè, aut ęgrè probant; Heliodorumq; antiquitas temporis, & longinquitas regionum tueri videntur. Asserit quidem Aristoteles Tragœdias illas esse pulcherrimas, quę circà paucas familias versantur, quià paucis omninò familijs atrocia huiusmodi contigere; Floremq; Agathonis totum confictum amico homini indulget potiùs, quàm cõmendat.

Pręterea Poësim esse imitationem inquit Philosophus, at imitatio nulla est, nisi rerum, quæ aut existunt, aut extiterunt; exemplum enìm exemplar sectatur. Et quoniàm de mente Aristotelis verisimile, non verum, Poetarum proprium esse pręd icant aduersarij, addo Aristotelē ipsum planè decernere nihil vero similius esse, quàm verum, neq; magis fieri posse, quàm quod effectum est. Itaq; veritati bene conuenit cum Poesi. Porrò quià de Imitatione, ac de verisimili necessaria contingit mentio, vt rem interiùs assequamur, eorum natura, notioq; videtur nobis inuestiganda.

Ludouicus Casteluitrus, qui se omnium maximè Aristotelis de Arte Poëtica præceptis lucem attulisse profite-

tur

tur, imitationem inquit aſſimilationem eſſe quandam quæ ſicuti non eſt eadem res, cuius ſimilitudinem gerit, ſed ab ea longè diuerſa, ità veriſimile non eſt idem cùm vero, cuius imaginem exprimit. Quam quidèm ille diſputationem ſuo more tractat fuſiùs. Nos omiſsis ſuperuacaneis duplicitèr accipi poſſe imitationem exiſtimamus, vel prò ipſo nempè, imitandi actu, vel prò opere, quod ab huiuſmodi actu productum, manſurumq; proficiſcitur. De poſtrema diſceptatur, quę quidèm videtur itèm eſſe duplex, aut enìm rem, perſonamuè illammèt exprimit ſingularem, indiuiduamq; aut tantummodò ſecundùm ſpeciem, & quandam conuenientiam, ſi priore ratione, imagò exiſtit, poſteriore ſimilitudò; hoc quippè diſcrimen inter imaginem, & ſimilitudinem ad faciliorem captum cōſtituere libet, vt imago rē ſingularem ad viuum referat ſimilitudo circà vniuerſalia liberiùs verſetur. A pictura, Heroumq; ſignis, & imaginibus exempla ad perſpicuitatem petenda ſunt. Imago dicenda videtur illa, quę Alexandrum Macedonum regem ſecundum vera ipſius lineamenta, atq; oris formam imitetur; Similitudo, quę virum bellatorem repręſentet, & qualem Alexandrum eſſe deceat; cęterùm à veris Alexandri lineamentis alienum. Eſt igitur imitatio vel imago, vel ſimilitudo, quæ duę res duos itèm conſtituunt modos narrandarum rerum, alterum ſecundùm veritatem, alterum iuxtà ſimilitudinem veri, qui ſinè controuerſia poëticus totus eſt modus, qualiſquè

eſsè

esse debeat facilè indicat Aristoteles cùm poëtam, philosophum statuit, atquè vniuersitatem complectentem; persequi autèm ideam quandam, & rationem perfectam, atq; absolutam rei, non qualis ipsa fuerit, sed qualem esse deceat pro ipsius conditione, ac genere; proùt à Xenofonte formatus est Cyrus, atq; ad ideam optimi, sapientissimi, & fortissimi regis summo iudicio expressus. Si autèm rei gestæ eiusmodi perfectio contigerit, an hæc quoq; poëtis materies idonea sit, de hoc quæritur inter doctos: nùnc satis, superq; est præscribere nobis Philosophum rem, quæ fuit; cætera suo loco videbimus. Potest alia quoq; ratio haberi verisimilis, qua nimirùm videtur idem esse cùm credibili & cùm eo, quod fieri potest; nàm hęc tria ea affinitate coniunguntur inter se, atq; ità aliud ab alio pendet, vt ratione distinguantur, reipsa ferè sint vnum. Etenìm nihil vnquam potest esse credibile, quìn sit idem verisimile, neq verisimile, quìn per aliquam potentiam fieri possit. Porrò ex adductis exploratum est nullum genus verisimilis aut sinè vero constare posse, aut aliquam saltèm ad verum relationem habere necesse esse, quippè quod omnium verisimilium est radix: tantùm abest, vt falsum poetæ sit proprium; si quidèm neque semper quod verum non est, continuò est falsum, proùt in prima quęstione cofirmatum est, neque poësis aut vsum; aut voluptatem affert, nisì per fidem, quæ veri fundamento innititur. Quem sanè finem haud satìs com-

pertum est mihi, quomodò poësis certiùs adipisci queat, quàm si ex eodem fonte deriuet suam vim, ex quo reliquæ hauriunt facultates, quæ in huiusmodi rationem credibilis coëunt, atque ipsius ductu suos fines consequuntur. Tres enim numerantur opifices, qui in hanc credibilis societatem conuenire solent, historicus, orator, & poeta; historico nisi fidem habeamus, ille oppidò non docebit, oratori nisi credamus, is nullo modo persuadebit; poeta si fide careat, nullo sensu auditoris animum perfricabit; nàm etiamsì proprium historici argumentum sit verum, oratoris probabile, poetę verisimile, atque his diuersis armis quisq; vtatur, mucro tamèn omnibus communis est fides, & prius feritur auditoris animus à ratione credibilis, quàm aut verisimilis, aut probabilis, aut veri. Itaq; si probabile oratoriũ eò magis credibile videtur, atq; ad persuadendum aptius, quò est verius, quidni eadem proportione verisimile poetarum maiorem oblectationem, & commodum pariet, si verum adhibeat, quàm si secùs fecerit, in mentem non venit. Frigent profectò contiuuò omnia, vbi veritatis opinio exuitur. Quòd si negauit Aristoteles à spectatoribus de veritate, aut commento distingui, ille verò eò loci ad ea dumtaxàt poemata pręcepta fortasè tradidit, quæ in theatro promiscuo homini, insipienti vt plurimùm exhibentur: nostra ętate, cùm poëmata quæuis leguntur potius, quàm spectantur, non is ingenuis viris est animus, deiectus, iacensq; vt laborem subire ad voluptatem

ptatem insipientium velint; Cum ex Cicerone in Bruto poëmata recondita paucorum approbatione, oratio popularis ad sensum vulgi moueri debeat. Telum auctoritatis Aristotelicæ superiùs adductę in nos retorquent aduersarij; negant enìm verba illa (nihil vero similius esse, quàm verum, neq; magis fieri posse, quàm quod effectum est) ad vnam, eamdemq; actionem referri, sed ad duas, alteram veram, alteram commentitiam, quę ad similitudinem verę conficta sit; vt si quis patrem fabuletur à filio interemptum, probè faciat, quoniàm Oedipus aliquandò repertus est, qui patrem interemit; atq; hanc poetę propriam imitationem esse profitentur, cum ad similitudinem rerum gestarum res nouas comminiscitur, & perfectiores arte confingit. Hoc profectò vrgere videtur argumentum; at vel nimìs superstitiosè Philosophum intèrpretantur, vèl non viderunt, libellus ille, quamquàm mutilus, atq; adeò fortasse corruptus ad eorum sententiam labefactandam quantùm virium afferre valeat, cùm apertè Aristoteles pronuntiauerit in Tragœdijs, quarum pręceptis vtitur vt plurimùm Epopœia, vera nomina conseruari, & circà paucas omninò familias versari, propterea quòd magnis illis, atq; horribilibus euentis obnoxiæ fuere: quod ad sola nomina nequaquàm referri, sed ad res ipsas, & facta reuocari necesse est. Esto igitur verum per se ipsum, & quidem plurimùm ad Poësim spectare, quam Plato quidèm, si ficta sit, è Republica exturbat, veram tenet; magna quip-

pè Heroum facinora, proùt ſupra memorauimus, in occulto non ſunt, & ſi cui defuere ſcriptorum calami, fama certè, memoriaq; mortalium neutiquàm defuit. Quòd ſi in Comœdia, & res finguntur, & nomina ad arbitrium ponuntur, humilitatem rerum geſtarum, obſcuritatemq; perſonarum cauſas habemus; addo & ne cuiquam detrahatur, cùm quos fugias, proponat vt plurimùm; nec prætereo, quià improbi plures, quam probi, atq; ignobiles, quàm clari. Epopœia verò, cum exhibeat, quos ſequaris, nomina retinet, res, quæ fuerint, carmine illuſtrat, quoniàm laude digni, probique viri ſunt admodũ pauci. De Tragœdia diuerſa eſt ratio, proùt finis non idem; nàm cùm idcircò inſtituta ſit, vt per terrorem, miſericordiamquè permoueat animos, & ampliſſimi quoquè viri fortunæ viciſſitudinem formidare debeant, exempla itidèm ampliſſimorum virorum, qui, vt ſępiùs dixi, obſcuri non ſunt, ipſam oportet in ſcenam deducere.

Hactenùs de vero prò ipſius natura locuti ſumus. ſequitur nùnc altera pars diſputationis de verò monumentis hiſtoricis conſignato; nàm qui verùm extrà hiſtoriam ſitũ conceſſerint in poeſim poſſe transferri, magnoperè vereor, ne à vero hiſtorico prorsùs abhorreant. Videtur enim rationi conſentaneum non eſſe idem poſſe tùm à poeta, tùm ab hiſtorico pertractari idq; Ariſtotelem conſtantiſsimè vetare contendunt. Nullis tamèn rationibus moueri poſſumus, quominùs verum, & quidem

dèm in historia descriptum argumentum idoneum poëseos Epicæ, ac Tragicæ esse posse existimemus. Pluribus propositum confirmatur; primum est, quod pridèm, sæpiùsque innuimus de magnis euentis, quæ vsq; adeò neglecta non fuere, vt apud historicos penitùs exoleuerint. Quòd si ab historia esset poëtis abstinendum, aut vniuersa fingere cogerentur, quod quam præseferat difficultatem sanè docuimus, aut nimis in arcto nobilissimis artificibus labor foret. Addo historiarum plerasq; mutilas, plures varias, atque etiam sibi inuicèm aduersantes præstantibus vatum ingenijs locum relinquere. Maximum etiàm momentum ad nostram sentẽtiam afferunt exempla poëtarum principum, qui omnes argumentum ex historia sumpserunt. Homero quidem Dares Phrygius, & Dictys Cretensis materiam suppeditarũt, Virgilio Romanę Historię, quę Reipublicę conuersione perierunt, Æneam ad nos migrasse tradidere. De Ennio, de Silio, de Lucano, de Petrarcha, quos cœcutisse omnes putandum non est, idem dicere debemus. Immò verò sicutì qui à veteribus fundamentis ædificando non abhorret, ducitq; parietes, ac domum ex ijs angustijs nihilominùs excitat splendidissimam, maiore laude dignus videtur, quàm qui libero, apertoq; spatio cuncta ad arbitrium disponit, & format, haud secùs vsu venire arbitror poëtis, qui historię quasi quibusdam limitibus cohibentur; eximij quippè est animi, atq; industriæ ità vetera exornare, vt noua videantur, ità noua comminisci,

vt

vt veteribus cohęreant, & mirum in modum antecellāt, ità aliena pertractare, vt fiāt propria. Quod verò inquiūt, idem historici, & poetę subiectum esse neutiquàm posse, videtur profectò habere nullam vim, cum à poeta sub ratione verisimilis vsurpari possit, & poetica lege tractari, nihilque prohibeat, quominùs vna, eademq; res multiplici ratione habita multiplicibus facultatibus argumenta præbeat; nàm & hominis anima, vt forma corporis ad Physicam, vt substantia expers materię ad Metaphysicam, vt capax æternę felicitatis ad Theologicam disciplinas pertinet; ac plura id genus iuxta varias sui rationes varijs scientijs sine controuersia materiam suppeditant. Quò maior veri calamitas videretur, si in vnius historię cancellis concluderetur. Qui verum historia exutum in poësim traduci posse consentiunt, haud leuis mihi est spes futurum, vt huiusmodi rationibus adducti ne historia indutum quidèm reijciant. Quę cum ità sint, videtur difficultas planè nulla, an vero poeta vtatur, sed quomodò vtatur. Quas cùm duas res plerique confundant, disputando laborant plurimùm, neq; statuere valent quicquam certi. Hùc profectò spectasse videtur Aristoteles resq; adeò, quæ gestæ sunt, non qua ratione gestæ, sed quales, & cuiusmodi geri potuerint à poeta sensisse scribendas esse, quò ab historico distinguatur. Propterea tota in hoc dificultatis ratio sita est, qui sit idonens modus. Ac pluribus quidem modis aliquid narrare contingit, nàm vel res gesta describitur veris

ris cum perſonis, & modo, proùt verè geſta fuit, narratione ſimplici, & nuda; vel res vera veris cum perſonis & modo, ſed cùm intermixtione actionum adinuentarum; vel res vera veris cùm perſonis, at diuerſo ab eo modo, quo geſta fuit; vel res vera, modusq;, ſed perſonis nomina imponimus; rursùm vel res ficta, quam veris perſonis adſcribimus, vel res item ficta, & cum perſonis itidem fictis. Præter ſex huiusmodi nullum vlterius reperio modum. Primus ad hiſtoricum abſolutè pertinet, reliqui ad poetam. Quorum poſtremus Comœdiæ eſt. Quartus, quintusq; in ea poeſi, vbi de Heroibus, Herouniq; rebus geſtis agitur, nequaquàm inter doctiores probantur. Supereſt, vt ſecundus, tertiusq; ad Epopoeiam pertineant maximè, qui quidèm tertius in duos rursùm ſubdiuiditur modos; aut enim ſummam rei, finemq;ad amuſſim obſeruamus, inſtrumenta, mediasq; actiones ad ideam perfectionis quandam ſedulò comminiſcimur, vt Maro, aut allegoricè rem veram occludimus; fictam palàm prętendimus, & fabularum involucris myſteria celamus, cuiuſmodi antiquiſſimi Poetę factitarunt, qui res naturę abditas huiuſmodi velaminibus condiderunt; ex quo effectum eſt, vt quæ adulteria, furtaq; numinum varia naturę opera interiùs præſeferebant, vulgus, quod à cortice non diſcedit, prò veris acciperet. Ad hoc genus Argonautica reuocatur; neq; enim aliud volunt fuiſſe nauem illam, quam Academiam, vellus aureum ſapientiam, virtutemque, draconem

nem ſuperandum propriam vnicuscuiuſque libidinem, ſeù mauis laborem à tanto quæſtu deterrentem. At ne Syri quidem, aut Hebræi ab hoc genere abſtinuere, apud quos parabolarum vſurpatio frequens, proùt cantica Salamonis inter cætera patefaciunt. Atq; hanc fortaſsè viam poetę propriam crediderim maximè, quam erudita, ingenioſaq; antiquitas inſtitit, cùm poëticam artem cõmenta eſt, vt quemadmodùm cætera omnia ad vſum aliquem comparauit, ità per voluptatem mortalibus prodeſſet hoc loco. Aſſentire Lucretius videtur, qui poëtas veritatem ad commodum vitæ fabulis condendam, condiendamq; ſuſcepiſſe profitetur. Sic enìm in 4. de natura rerum libro ſapientiſsimè decantauit.

Nàm veluti pueris abſynthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circùm
Contingunt mellis dulci, flauoq; liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur.
Labrorum tenùs, intereà perpotet amarum
Abſynthi laticem, deceptaq; non capiatur,
Sed potiùs tali tactu recreata valeſcat;
Sic ego &c.

Verùm hæc miſſa faciamus. De primo ex his duobus modo, qui communior, frequentiorq; eſt, deq; ſecundo inter ſex enumeratos diſquiritur, quippè qui maxima affinitate inuicèm coniunguntur. Igitùr (quod primum ſtatuitur) ſi in hiſtorias truncas, ſummatim compoſitas, pugnantes inter ſe, ſuſpectaſuè, vt Græcę ſolent, quod mendax vt plurimùm eſt, fabuloſumq;

ſumq́; genus hominum, poëta incidat, tunc nulla videtur controuerſia, quominùs ipſi integrum ſit actionem, non qualis extitit, Muſis transdere, ſed proùt pręclariùs geri debuerit, ex arbitrio formare, aut quod compendio tranſactum eſt, ingenio explicare. Quodq; certiſſimum poſt allegoricum prędictum inueniendi, atq; imitandi genus eſſe iudico, ex actione vera, & nota affinem deducere, ſeù è fama perſonas metiri, & genio, ac moribus congruentia comminiſci, hic poëtę modus opportuniſsimus prę ſto eſt, proùt in bellis crudelia exempla, in amoribus amentias fingere, breuiſsimus quippè eſt tranſitus; Æneam ſemper pium, Achillem ſemper ferum, cùm vel apud Iurisperitos ſemèl malus pręſumatur ſemper malus in eodem genere mali, atq; in occulto ſcelere ſatìs idoneum indicium faciat, ſi quis delinquere ſolitus fuerit; ac plura id genus.

Quod ſecūdum videtur edicendum, eſt, hiſtorias etiàm quasq; commutare non eſſe abſurdum; nàm capitalis, quæ intercedit, quorumdam lex auctoritatem conſenſione doctiorum non habet, cùm enìm in Bruto pronunciaſſet M. Tullius Coriolanum voluntaria morte occubuiſſe, ſubdidit ſtatìm. [Quoniam conceſſum eſt Rethoribus ementiri in hiſtorijs, vt aliquid dicere poſſint argutiùs, quod etiam Stratocles, & Clitharchus in Themiſtocle pręſtitere. Cui quidèm ſententiæ ſubſcribit etiàm Quintilianus.] Quamobrem Mazzonius hoc locò exclamare cogitur. At quò magis in poëſi? Hic ſi placet

cet, in medium afferatur Tragici argumenti conatus noster in Agrippina, ex quo pateat, quid in hoc genere à melioribus ingenijs præstari possit.

Cæsare Germanico in Asia per summum scelus extincto, Agrippina vxor cùm liberis Romam venit: Vbi seù dolore erepti coniugis, seù impotentia muliebri, & violentia ingenij apud Tyberium grauitèr offendit; neque filij ab inuidia Principis abfuere ob beneuolentiam magìs Romani populi, quàm proprium crimen; prętèr Caligulam, qui senis artibus seni obsequi, & se ipsum mentiri didicerat. Illi veneficia obijciebantur, hi maiestatis postulabantur; atq; Agrippinam quidèm in Insulam Pontiam, neq; procùl Neronem exules deportari, Drusum Romæ in custodia haberi mandauit. Omnium ratio victus miserrima; Drusus eò deductus est, vt coacta inedia tomentum culcitræ manderet; Agrippina, Neroq; tanquàm mancipia vilissima flagris afficerentur suffossoq; oculo fœmina princeps Augusti neptis ab Centurione ludibrio haberetur. Nero quamquàm ignarus atrociorum rerum, quæ matri postremę acciderant, consuetę contumelię intolerās arrepta occasione alieno cùm vestitu lintrem intrauit, & clàm custodibus Romam progressus omnem aditum noctu lustrauit, quò sibi ad fratrem pateret accessus, vt consilijs communibus communi malo subueniretur. Per idem tempus Drusus quòq; deceptis militibus è carcere abierat, & vagus, inopsq; animi, quò se reciperet, ignorabat. Fratres per tenebras ob-

uij fiunt, magnitudine facinoris territi, & primò, quia non agnoſcebant, ſuſpecti inuicèm, mox congreſſu detecti. Hìc verò lachrymæ, queſtus, & quæ ima fortuna dictabat, donèc audito ſtepitu, ne deprehenderentur, digreſſi ſunt. Agrippina Neronis fugam neq; præſenſerat neq; perceperát; ſed miſericordia militis paterno olìm ſtipendio obnoxij Inſula exceſſerat. Ità peſſimo omnium fato effectum eſt, vt diuerſi omnes in vrbem eodem tempore conuenirent. Igitùr quem ſtrepitum adoleſcentes acceperant, ea fuit Agrippina cum milite, quę tametsì cùm eodem iniquam vicem lamentaretur, ac de modo parandæ ſalutis ſibi, liberisq; conſultaret, flexis tamen ex cõpoſito in obſcurum ſermonibus ſemet occulere nitebâtur. Poſtquam vacuus teſtibus locus fuit, Nero, Druſusq; eòdẽ reuerſi de acceptis iniurijs, deq, remedijs agitare, & cùm nihil idoneum videretur, tollendi Principis conſilium capere. Condictus eſt coëundi locus antè ædem fortunæ. Miles, Agrippina in contubernio relicta haud procùl aberat, cęterorum ignarus extrema de interficiendo Ceſare ob imprudentiam adoleſcentium verba excepit. Rem cōtinuò alienam ab ſe creditam ad fœminam defert, cùmq; adeò reliqua omnia incommoda, difficiliaue ad ſalutem eſſe intelligerent, pietatem in Tyberium præſeferre, ac trucem animum ad clementiam, & gratiam flectere opportunum rati, Principem, vt caueret ſibi à duobus neutiquàm notis, qui parricidium aduersùs ipſum moliebantur, & custodias ad fanum Fortu-

næ in

nę in occulto collocaret, monendum ſtatuunt. Agrippina indices litteras exarat ad Cęſarem, qui atrocitate rei trepidus militem in inſidias progredi iubet. Vix fratres adfuere, cùm in carcerem rapti, agniti, tortiq; ſunt & quia inopinato euentu perculſi, flagitium confeſſi. Cęſar obtruncari vtrumq; præcipit. dein accitam Agrippinā, quę iam in regiam deducta fuerat, adhùc inſciam collaudat, gratias agit, bono animo eſſe iubet. Tùm capita damnatorum ſpecie munerum afferri imperat: Vt in aperto fuere, & mater miſerabilis in atrox ſpectaculum oculos fixit, ſeq; reos ad necem prodidiſſe intellexit filios ſuos, prò quorum ſalute indicium ad Principem tulerat, ſolutis neruis defecit, nec multo poſt retento ſpiritu volens extincta eſt. Hùc exuendæ calamitatis ſtudium, reluctante Cœlo, pertinuit.

Nunc ad tertium, quod ſtatuendum ſupereſt, deſcendamus. ſentiunt autèm ſeriò viri grauiſſimi, Mazzonius præſertìm, rem eo quoq; modo à poëta decantari poſſe, quo geſta fuit, ſi eo modo geſta fuit, quo perfectiùs geri debuerit, neq; ex eo tamen poetę nomen amittere, cùm hiſtoricus, poëtaq; in dicendi ratione adeò inter ſe diferant, vt poëtæ plurimum ſpatij ab hiſtorico relinquatur; quem ad omnia deſcendere neutiquàm decet. etenìm exercituum luſtrationes poëſis requirit, catalogos ducum, ſacrificia, & ſupplicationes, concilia Coeleſtium, atq; Inferorum, quam quidèm viam noſtrę intelligentię apprimè commodam priſci inierunt, tùm ad

ad prouidentiam Numinis declarandam, tùm ad infestos Infernorum ſpirituum impetus, artesq; ob oculos proponendas. Atquì cùm perfecti Herois ideam perſequi Epicus imitando debeat, niſi ea retieuerit, quę ſui Herois dignitati officiant, quamquàm vera, non video, quomodò ſuum finem conſequatur: neq; illi vitio dandum, agit quippè Philoſophum, non actorum ſcribam. Euenta ex aduerſo ſingularia, caſusq; varios comminiſci, quos hiſtoricum conſultò prętеrijſſe à veriſimilitudine non abhorret, nefas non videtur; atq; ex his quidèm Epiſodia cùm ad ſuauitatem concinna, tùm ad ſtructuram poëmatis vtilia conflari poſſe crediderim, prætèr veritatem ſanè, contrà nequaquàm. Ordo inſupèr, ac diſpoſitio ab hiſtorica longiùs abeſt; nàm etsì ſuum principium, ſuus finis poëmati deeſſe non debet, attamèn:

Ordinis hęc virtus erit, & venus, aut ego fallor,
Vt iàm nunc dicat, iàm nunc debentia dici,
Pleraq; differat, & pręſens in tempus omittat.

Quodque maximi eſt momenti, plures hiſtorico actiones amplecti nō interdictum, quamquàm altera ab altera ſit alieniſſima, poëtę ab vnitate recedere capitale eſt. Quòd ſi hiſtoriam quoque nactus fuerit, quæ vnitatem actionis præferat, haud totā continuò ſuſcipiendam monet Philoſophus, ne aut in eam molem poëma Epiſodijs excreſcat, quæ iuſtam magnitudinem excedat, aut, ne molem immensā afferat, ab Epiſodijs, poeſiq; congruentibus

tibus inuentis aridus poëta abstinere cogatur; sed partẽ dumtaxàt eligendam esse, eamquè Musarum industria amplificandam, colendamq;. Sic Homerus non vniuersum bellum Troianum, verùm vnam dumtaxàt partem, quæ ad Achillis iram pertinet, sic Tassus nunquàm satìs laudatus nostra ętate solam Hierosolymorum expugnationem complexi sunt. Atq; in hoc quidèm Lucanum fefellit opinio, Trisiniq; viri alioquì eruditissimi Italiam liberatam labefactauit, quod cum actiones integras ex Aristotelis præscripto canendas suscipere cogitassent, tantæ illas magnitudinis elegerunt, vt vel poëtæ nihil conandum relinqueretur, vel ex longitudine lectoris animum defatigarent. Perstringit sanè Lucanum Petronius Arbiter, damnatq;, non quòd historiam excerpserit, sed ferè quòd nimiam, atq; idcircò angustiore poetæ industria tractatam, iterq; aperit; quo ad poëma ex historia deductum pateat accessus; cum enim Homeri, Virgilijq; mentionem fecisset honorificentissimam, hæc subijcit. [Cæteri aut non viderunt viã, qua itur ad carmen, aut visam calcare timuerunt. Eccè belli Ciuilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longè meliùs historici faciunt, sed per ambages, Deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus, vt potiùs furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides.]
Hæc

Hæc ille. His legibus ſeruatis optima ex hiſtorijs poëmata, deriuare non modò non reprehendendum, ſed laudandum etiàm exiſtimauerim, neq; ſi ad hanc libellam Hiſtoriæ Herodoti partem poëta tractaret, mea ſententia ab Ariſtotele plecteretur. Immò verò præ multitudine annalium, commentariorumq; eò iampridèm deducti ſumus, vt Epopœia alijs in ſpatijs decurrere atq; exerceri nequeat omninò, niſi (quod miſerum eſt) ad priſcas fabulas reuertatur.

Si in duabus hiſce velitationibus manus aduerſarij nequaquàm dederunt, ad tertiam quidem, proùt mihi perſuaſum eſt, conſtantiſsimè in acie ſtabunt, eque ſacra Bibliorum hiſtoria poëma fieri neutiquàm poſſe tueri contendent, tùm quià accuratiùs deſcripta, tùm quià impium, ſacrilegumq; eſt aliquid addere, ſeu demere narrationibus à diuino ſpiritu dictatis, illudque ab Eccleſia ſacroſancta ſapientiſsimè prohibetur. Nunc mutata ratio eſt; in ea, quæ proximè anteceſſit, diſputationis parte, quomodò hiſtoria poëſi aptanda foret, quęſiuimus; in hac, quomodò ferè poëſis accommodanda hiſtorię ſit, deincèps quærendum eſt. Ego verò, quicquid dicant obiectores, in eam opinionem facilè adducor; Deum immortalem Poëticam artem, cuius ipſe parens fuit, vt initio noſtræ defenſionis attigimus, huiuſmodi laude ſpoliare noluiſſe, quæ ex actionibus ſacrarum oritur ſcripturarum; ſacra quippè nulla ſinè hiſtoria comminiſci fas eſt; nàm cùm omnium ille diſciplinarum

ſit

ſit origo, & fons, omnium quoq; diſciplinarum: inſtrumentis celebrari meo quidem iudicio probat, nec non tanquàm directus ingeniorum dominus hunc à nobis cenſum exigit. Hebræi ſanè, apud quos vetuſtiſſimę, ac diuinitùs acceptæ litteræ fuerunt, nullam aliam prę ter parabolas poëſim, quàm veram, hiſtoricam, ſanctam agnouerunt, eamq́; conſuetudinem pluribus ſeculis religioſiſſimè coluerunt, vt poſt cęteros Mazzonius eſt auctor. Ex quo fonte fortaſsè Plato poeſim, quam Icaſticam appellauit, in ſuam Rempublicam deriuauit. Nequè exempla recentiorum deſunt, qui ſe in hac palęſtra eximia cum laude exercuerunt, Fracaſtorij, Sannazarij, Carmelitæ, Leonis Alberti, qui hanc Iuditham ipſam in Tragicum Theatrum inuexit, atq́; id genus aliorum complurium. Porrò quòd ſecùs de Biblicis ſcripturis ab Eccleſia ſtatui videtur, in textualibus illud translationibus locum habere conſtans doctorum hominum opinio eſt; in ijs enim, ne ſacroſancta Biblicorum voluminum veritas, vt fit ab Hæreticis, corrumpatur, fideſquè ipſorum, & auctoritas minuatur, à veteri, vulgata, atq́; vſu recepta conuerſione recedere nefas eſt. Cæterùm partem ſacræ Hiſtoriæ quampiam poetico ſtylo ornandam ſuſcipere quamobrèm ab Eccleſia damnari putent, in mentem non venit. Bellarminum quidem Cardinalem religioſiſsimum, ſapientiſſimumquè, cuius memoria ſemper Hæreticis formidabilis, de Pſalmorum præſertìm paraphraſibus poeticis; quæ vulgo circumferuntur, inter-

interrogatum viri grauißimi respondiſſe perhibent nõ eas ſibi videri intèr damnatas à Tridentina demùm Synodo comprehendi; neque ſecùs alij clarißimi homines de vniuerſis ſacris litteris iudicarunt. Quòd ſi tertiam ad Indicem prohibitorum librorum regulam perlegamus, nihil profectò illuſtrius in noſtram ſententiã dici poſſe comperiemus. Cum enim de verſionibus ſcripturarum in ſacris Biblijs contentarum à prauis auctoribus editis mentionem feciſſet, ità ſubdit. [Librorum autèm veteris Teſtamẽti verſiones viris tantùm doctis, & pijs iudicio Epiſcopi concedi poterunt, modò huiuſmodi verſionibus tanquàm elucidationibus vulgatæ editionis ad intelligendam ſacram ſcripturam, non autem tanquàm ſacro textu vtantur.] Et paulò poſt [Ex Biblijs Iſidori Clarij Brixiani prologus, & prolegomena præcidantur, eius verò textum nemo textum vulgatæ editionis eſſe exiſtimet.] Quibus ex verbis ſatìs liquidò colligi poteſt, ſi alias verſiones à vulgata, non tamèn pro ſacro textu, concedendas, Sacroſanctum Cõcilium decreuit, eò minus damnandas eſſe lucubrationes illas, quæ textum minimè profitentur, dummodò veritati hiſtoricæ non aduerſentur. Quæ res cùm ſuſpectior, lubriciorq; ſit, quàm cùm in Hiſtoria profana verſamur, ſic impenſiorem cautionem, acrioremq; prudentiam Poetę requirere non dubitauerim, ne a recta ratione deflectat. Illud vero in primis curandum cenſeo, ne quid noui veteribus apponatur, quod ex in-

timis historiæ sacræ penetralibus nõ sit erutum, & quasi (vt cum schola loquamur) de potentia materiæ eductum, interpetrariq; videamur potiùs; quæ Historicus vel strictìm transegit, vel omisit, quòd ad suum istitutum minimè pertinerent, quàm inuenire. Addo etiàm quædam prætermittere, quæ Historico opus erant nobis neutiquàm idonea sunt. Quod si de nouo fingatur quidpiam, id si ad barbaros spectet, non ad Hebræos, maximùm in tabula nodum vitabit artifex; omnia tamèn sobriè, & prudentèr. In disponenda verò re narrandi ordinem interuertere, historicum fugere, poëticum sequi, vt nullum veritati detrimentum affert, ità poetæ tùm liberum, tùm necessarium. At cùm meum non sit præcepta tradere, sed causæ adesse, plura cuiusque iudicio remitto. Cęterùm quomodò Iuditham nostram ad hanc libellam dimensi fuerimus, proximis disputationibus demonstrabìmus. Nunc ex his omnibus ad obiecta, obijciendaq; in contrariam partem vnicuique responsio patet.

EPISODIA
Iudithæ Vindicis recensentur, atque ab oppugnationibus vindicantur.

QVÆ præcepta ad poësim ex historia sacra deductam in pręcedenti quæstione attigimus, quàm illa

illa à nobis accuratè in Iuditha Vindice obseruata fuerint, deincèps aperiemus, & prior erit disputatio de additamentis, seu Episodijs, in quibus tantoperè contendunt aduersatij nos fecisse contrà leges. Erat igitùr primum, quod monuimus, ne in poësim quid noui inueheretur, quod ex arcano Historiæ penu, & quasi de potentia materie depromptum non scateret. Nos verò illud appositè in Iuditha præstare ingenti solertia studuimus. Bellum id fuit; igitùr cùm exercitibus, cum ducibus, cùm armis, cùm vallo, cùm statiuis, cùm tentorijs, cùm propugnaculis, sinè quibus bella administrari nequeunt. In ijs conuentus habentur, quos militaris prudentia requirit; prçlia intercedunt; multa ad Politicas, multa ad Oeconomicas leges spectantia, multa ad mores, quæ omnia Iulius Cæsar Scaliger in tertio suæ Poëtices libro summa cum diligētia, & laude persequitur. Prætereà quià nihil vel temerè fit in terris, quòd apùd Deum inconsultò fiat, diuinam prouidentiam, opemque interesse bello necesse est; atque vt bona sinè Numinis ductu nulla contingunt, sìc quoniàm nulla mala accidunt, quibus infernorum spirituum curia ad nostram perniciem intenta sempèr totis viribus operam non præstet, Dœmonum quoque habenda ratio videtur; Idcircò Cçlestium, Infernorumq; concilia ad captum nostræ imbecillitatis inserere, quæ huiusmodi subsidia, & machinationes ob oculos porāt, consentaneum rationi, atque in primis vtile creditum

creditum eſt, isq́; modus videtur adhibendus, qui admirabilior ſit, maioremq; excitet voluptatem. Et quoniàm placandi propter eà, conciliandiq, ſunt Superi, & præſidium aduerſus Dęmones implorãdum, idcircò ſupplicationes, sacrificiaq; inſtituta sunt. Quæ quidem omnia hiſtoricus, vt potè ad hiſtoriæ aut neceſſitatem, aut fidem minimè pertinentia, vel summis labris attingit, vel prorsùm præterit. Eccè vniuersa hæc in Iuditha noſtra.

De Aſſyriorum ingentibus copijs arctè hiſt. cap. 7. [Erant autèm pedites bellatorum cẽtum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter pręparationes virorum illorum, quos occupauerat captiuitas, & adducti fuerant de prouincijs.] Ego in tertio Poëmatis libro exercitum luſtro, Catalogum pręfectorum ſcribo, suas cuiq; genti notiones tribuo. De Hebræis sacrę litteræ in eodem capite verba vix duo. [Aſſumentes filij Israël arma sua bellica sederunt per loca, quę anguſti itineris tramitem dirigunt inter montosa, cuſtodientes ea die, ac nocte.] & c. 14. [Accepit vnusquisq; arma sua, & egreſſi sunt in grãdi ſtrepitu, & vlulatu.] Ipse in 5. exeuntes recenseo, & omiſſos ab historia secundũ veriſimile in lucem profero. Eadem industria auxilia ab Hierosolymis feruente ipſa hostium internecione superuenientia, Ducemq; Ionahtam, à quo Aſſamonęi principes prodijſſe memorantur, ad maiorem ornatum constituo. At ne hoc quidèm ſinè seu ratione, seu occaſione, cũ c. 15.
ſic.

ſic habeatur. [Omnis itaq; regio, omnisq; vrbs electam iuuentutem armatam miſit poſt eos, & perſecuti ſunt eos in ore gladij.] Quò magis Hieroſolyma regni caput, à qua etiam antequam de cęde Holophernis audiretur, auxilia ſubmitti laborãtibus ęquum erat? Armorum in bellis neceſſitas armorum Ionathæ deſcribendorum occaſionem prębuit. Tentoriorum vſus aulęa mihi cùm Heſteris hiſtoria ſuppeditauit. De concilijs, & conuentibus perſpicua res eſt: pluribus locis innuit textus, quod nos in tertio libro expreſsè tradidimus. Vltimum prelium, fugamq; barbarę multitudinis, quę vno verborum impetu ſacra pagina inuoluit, nos ampliſſimè, quià rem claudũt. Cętera leuia tùm ſub aduẽtu, tùm ad fontes à textu ipſo non longè abſunt. Nuntius de ſtatu rerum miſſus Hieroſolymam ad Politiam pertinet, oportet enim principes, aut ſummos magiſtratus de vnaquaq; re commonefieri, & ea, in quibus de ſumma Reipublicæ agitur, ampliſsima capita nõ latere; hiſtoria vt ſuperuacaneum prætermiſit, quòd ſibi quemq; perſuaſurum putauit. Legatio quoque Numidarum tùm Politiam attingit, tùm ſacroſanctę narrationi innititur, prout in 3. cap. videre eſt. [Tunc miſerunt legatos ſuos vniuerſarum vrbium, ac prouinciarum reges, & principes, Syriæ ſcilicet, Meſopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Lybiæ, atq; Ciliciæ, qui venientes ad Holophernem dixerunt. deſinat indignatio tua circà nos.] Ad Oeconomiam faciunt multa, diſpoſitio familiæ, ſigna

He-

Heroum in cubiculo Iudithæ, veſtes, cultuſque corporis, & plura id genus, quę partim textus leuitèr attingit, partim coniectura conſequi poſſumus. Quibus quidèm ingenij conatibus dum poëſi morem gero, hiſtoriæ ferè interpretem ago. Ad mores, Iudęorum principes optimi, plebs non nisì ex occaſione mala; at flagitia tranſlata in barbaros, non ad animos corrumpendos, ſed vt pateat, qui extrà legem viuunt, à vitijs temperare neutiquàm poſſe: ea vero parciſſimè, atq; ad ſimilitudinem veri formata: Cedraſtus amans, Hormus magicarum artium faber, Dorilus è ſtupro genitus, quæ ab vſu, & natura; nonnulla etiam ab hiſtorijs prophanis illorum temporum mutuata, vt de Bagua Ægyptio Spadone; quem ob contumeliam Oſyridi illatam Ocho Regi manus inieciſſe, qui Perſarum res geſtas deſcripſerunt, literis conſignarunt.

Sunt nonulla tamèn, quæ cauillentur; neque probent aduerſarij, ac primo loco minimè laudant, quod initio ſtatim primi libri de Infernali furia inductum eſt, quæ ad concitandam multitudinem muliebrem formam apprehendit, filium inopia ciborum in ſpeciem interfecit, coxitque; aiunt enim illuſtriùs in textu ſacro cauſas patere ſeditionis, quàm vt commentis opus ſit. Acutè quidem, & religioſè: ſed ſi rite rem expendere velimus, hanc eſſe quoque hiſtoriæ interpretationem potiùs quamdam, quàm figmentum comperięmus; etenim non in ſceleribus dum-

dumtaxàt, sed in malis vniuersis, quæ siuè animum feriant, siuè corpus, mortalibus nocent in vita, quìn assiduæ humani generis hostis adsit opera, in dubium vocabit nemo, qui vel solum librum Iob leuiter attrectauerit: is nimirum tùm ex propria malitia, atque odio, tùm vt lictor diuinæ iustitiæ, prouidentiæque affligendis miserrimè populis acerrimam operam nauare non desinit. Hùc spectant bella, incendia, seditiones, & plura id genus, quæ Regius Psaltes vno versu expressit egregiè. [Misit in eos iram indignationis suę, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos. [Porrò cum clandestinę Dęmonum suggestiones, quibus animi concitantur, minimè appareant, & poëtæ conandum sit, vt res antè oculos collocentur, euidentiæ modos inuenire, qui verò proximiores videantur, poëtis liberum semper fuit. Sitim quidem, penuriamque victualium, quæ patent in textu, satis validas fuisse per se causas, quamobrèm Bethuliæ seditio oriretur, non inficior, at cum in ea calamitate, quæ totam turbauit, ac penè pessumdedit Ciuitatem, congressus Dœmonum interfuerit, quomodò hic è tenebris eruatur, & fulgeat admirabiliùs, non reperio, quàm si semesi filij appareat attrocitas (exemplis enim, & spectaculis plebecula commouetur) & malum eiusmodi exhibeatur, quod ei populo solemne, & frequens fuit, cùm sub ~~Achabo~~ rege obsidentibus Samariam,
Ioramo Achabi Filio Syris

Syris mater filium vrgente fame consumpserit, & sub Tito Hierosolymis apud Iosephum matrona nobilis Maria nomine eadem ex rabie filium itidèm crudelissimè deuorauit. Res autem à poëtis adeò religiosè non vsurpari nemo non videt, vt historicos, aut Philosophos agere debeant; non locorum, non temporum rationem habent contractam admodùm, dummodò à verisimili non aberrent. Sic Virgilius Æneam cum Didone cõgressum memorat, cùm tamèn ex supputatione Chronologorum in eadem tempora non coiërint. Idem Æneę in latio pugnãti factum tribuit, quod longo post seculorum interuallo Cæsaris fuisse scribitur, cum parcendum Ciuibus in acie Pharsalica, & voce, & manu significauit.

At pius Ænęas dextram tendebat inermem,

Inquient fortasse id licere in rebus profanis; in sacris nefas. at respondeo, ne in sacris quidèm videri absurdum, cùm non mutatur species rei, aut noua proponitur, sed eadem dumtaxàt intenditur, atq; ad perspicuitatem amplificatur. Esto igitùr spectrum habitu muliercalæ in filium sęuientis appositè inductum, vt suggestio per huiusmodi illusionem illustriùs appareat, qua Dęmon callidissimus in eam turbationem res deduxit.

Oppugnant secundo loco Fortitudinem de cœlo delapsam Abræ formam induisse, sub famulæ persona dominam aggredi, suadere facinus tantæ dignitatis, ac ponderis; negant enìm honestum, decorumq; esse superiorem

riorem ab inferiore commoneri. Exemplum in Angelis; minores à maioribus illuminantur, maiores à minoribus auditu nouum, abſurdumq;. Id omnes Patres, omnes in ſchola Theologi profitentur, cumq; occultiſſimum Iudithæ conſilium fuerit, Abræ vehementèr indignantur mea opera patuiſſe, idq; hiſtoriæ ſacræ repugnare conſtantèr tuentur. Mihi verò etiamsì eiuſmodi argumētum primo aſpectu aliquid magnum minari videatur, tamèn parum negotij faceſſit, quippe cuius mucro neutiquàm feriat; non enim, quę ad opus Iuditham excitat, Abra eſt, ſed Fortitudo, quæ cœleſtis, quæ ſuperior, neque aliud eſt, quàm diuinę inſpirationis genus rei ſubiectæ in primìs accomodatum, cui per Proſopopœiam perſonam adſcribimus; nam cum, vt ſuprà memorauimus, rerum euidentiam comparare, quam maximè fieri poteſt, poëta debeat, neq; intimæ cordium motiones, atque animorum impulſus appareant, meliorum exemplis conſtare ſatis puto licere ipſi eiuſmodi euidentiæ modos excogitare, qui Maieſtati Numinis non repugnent. Atquì vel ipſæ ſacrę litteræ ab hoc genere non abhorrent explicandarum rerum, quæ ſpectari nequeunt, quod captui noſtræ mentis ęquum eſſe videatur. Ecce Deus in lib. Iob colloquium cum Satana quàm habuerit luculentum. Daniel, Ezechiel, Ioannes in Apocal. per conſeſſus, perquè mandata, & legationes maieſtatem, prouidentiamq; Numinis quaſi referunt pennicillo. Immò verò Moyſes vetuſtiſſimus

Theologorum, [Deum inquit pœnituit fecisse hominem, & tactus dolore cordis intrinsecus;] quasi Deo corpus adsit, & corporeis affectionibus perturbetur. Sed omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, vt ea consequi intelligendo possimus. Quæ cum ità sint, valdè duximus opportunum Fortitudinem illius imaginem inducere, quę ad manum, ad aurem Iudithę ab omni reliqua consuetudine abhorrenti assiduè foret; illud quippè est adeò verisimile, vt intimi quiquè familiares plura in dies consilia, eaque optima dominis vel sapientia prędititis suggerant. Pertinet etiam ad Dei gloriam in magnis rebus obeundis infirmioribus instrumentis vti, quò ipsius potentia eluceat admirabiliùs. [Infirma enim mundi elegit Deus, vt fortia quęq; confundat] neque fortasse magnum quidpiam patrauit vnquam, quìn vilissima ministeria adhibuerit, immò verò non nisi per hominem ipsos quoq; Angelos consequi gratiam voluit, cùm tamèn ab Angelorum dignitate humana imbecillitas magnoperè distet. Addo quod ad rem propositam plurimùm facere videtur, quid vilius rubo? Moysi tamèn in igne rubi apparuit Deus; neque quisquam in sacris littteris, vel mediocriter versatus huiusmodi veritatem in controuersiam vocabit. Quod si de Abra quoq; non de re cœlesti, vt diximus, quæstio, esset, hìc de ordine, qui inter nos est ratione humanæ societatis, quęrendum non videtur, cùm apud Deum, qui non est acceptor personarum, non sit seruus, neque dominus, sed

sed de ordine gratię, atq; animarum conditione, quæ natura liberæ, à materia remotę, & pares, solaq, virtute differunt inter se. Quo circà non ille personas honorum gradibus, aut censu metitur, sed sanctitate vitæ, & gratia apud se iuxtà Matth. 18. [Quicumq; humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum.] Ex quo fit, vt cùm serui pietatis studio quandoq; dominos antecellant, vtiq; apud Deum prò superioribus habeantur. Superior sanè Vitalis Martyr Agricola domino, qui non nisi constantia serui confirmatus tormenta sustinuit, superauitque. Nec prætercam humaniora; nàm cùm de adhortatione, & consilio agatur, quæ de sui natura ad scientiam, aut moralem virtutem potiùs pertinent, quàm ad eam probitatem, pietatemuè, quæ sine Dei ope esse non possunt, quamquàm Abra conditione inferior foret, cognitione tamèn, prudentiaque superior esse nihil officit quominùs posset. Ità quotidiè sub oculos cadunt vilissimi homines amplissimis sapientiores; neq; exempla seruorum desunt, qui herilem virtute animum, dominorum, qui vitiis seruilem turpitèr gerunt; vt propterea miraretur apud Arbitrum Polięnus, atq; inter monstra numeraret se ancillam reperisse, quæ haberet matronæ superbiam, & matronam, quę in ancillæ humilitatem degeneraret. Quamobrèm sapientèr Aristoteles lib. Polit. 1. plerosq; conditione seruos esse affirmat, qui natura sunt liberi, eosq; virtute, ac vitijs, sapientia, & imperitia eximio iudicio metitur.

Immò verò ne improbis quidèm ſcientiam ſuam largiri recuſat Deus, adeò etiam nec Prophetiam, quę ſanctiſsimis habetur in rebus, atque vt innocentiæ teſtis maxima veneratione ſumma vulgò colitur; proùt Balaamum, Saulem, Caypham, alioſq; huius notę complures conſulere vnicuiq; fas eſt. Angelorum alia eſt ratio; non vnius ſpeciei, non mutationi obnoxij, aut mortales ſunt; quæ ſpecies vnius eſt, ea nequaquàm ad alterum pertinet; ſinguli ſingulam ſpeciem conſtituunt, ſpeciei verò aptatur gratia, nàm quos naturæ ſuperioris omnipotens Conditor eſſe voluit, eoſdem amplioris etiam gratiæ luminibus illuſtrauit: quam quæſtionem quidem D. Dionyſius, qui ab Areopago congnomentum tulit, in eo, quem de Cęleſti, atque Eccleſiaſtica Hierarchia commentarium ſcripſit, ac Diuus deinde Thomas p. p. q. 50. cum interpretibus vberrimè perſequuntur. Non ego tamèn ex adductis Abram fuiſſe Iuditha meliorem, prudentioremuè inferendum ſtatuo; at mihi ſatis, ſuperque eſt ad rationem oppoſitam refellendam talem eſſe potuiſſe. Porrò cum ſumma contentione Aduerſarij negent notum fuiſſe Abræ cnnſilium dominæ, quo innitantur fundamento, haud equidèm video, neque enim textus quidpiam affert, quod eorum ſententiam tueri poſſe videatur. Ego autèm decere ſapientem magnoperè arbitror magni momenti nihil aggredi ſine acceſſu ad Deum mentium ducem, ac gerendarum rerum præſidem, conſilioque prudentium. Quò magis in re pro-

proposita à verisimilitudine non abhorret Iuditham fidelissimæ mulieri summam consilij communicasse, quæ comes itineris, socia periculi futura esset, cum à dignitate, prudentiæq; fama alienum foret matronam nobilem eximiæ pulchritudinis, ætatisq; integræ ad barbaras nationes solam prodire, & militarem licentiam impensisùs ciere. Propterea Fortitudinem Abræ forma personatam feci, vt egregiam Iudithæ præberem occasionem consilij communicandi, ne cauillari posset quisquam, quòd ancillæ tanti ponderis arcanum committeretur; eamdemq; non famulam, & pedissequam vulgarem institui, non quamlibet fœminam, sed annis grauem, ideò longo rerum vsu exercitam, ideò negotijs parem; sed nutricem, ideò amantem, ideò in primis fidam atq; intimam. Quarum quidèm rationum vim in Philippa Catanēsi vilissimæ originis fœmina videre licet, quæ Neapoli antè Aragonios, Austriacosq reges consiliorum omnium particeps, nisi mauis arbitram dicere, summam diù regni administrauit. Nihil est igitur, quòd in huiusce modi accusatione tantoperè cōtrà nos laborent obiectores, nostrumq; hac in re consiliū tanto studio detestentur.

Tertium, quod obijciunt, eiusdem ferè notæ, ac generis est, inquiunt enìm inconsultò, ac temerè à nobis factum qui superbiam Furiarum maximam in II. Poëmatis libro ad Magum in somnis admonendum misimus, ac de Iudithæ consilio certiorem faciendum, nam cum Dæmoni in animæ substantiam, atque adeò ad in-

timas

timas cogitationes introſpiciendas non pateat aditus, negant monſtrum illud cognitione rem conſequi, multò minùs reuelare potuiſſe. Huic obiectioni perquàm facilis reſponſio videtur eſſe; etenìm quicquid de re, ac veritate hiſtorica ſit, de qua diſputauimus ſuo loco, neq; Dęmonem ſtatuo perſpectũ habuiſſe Iudithę cõſilium, neq; prodidiſſe, ſed coniectura quadam in ſuſpicionem actum veritum eſſe, ne quid mali Iuditha moliretur, quippè cui acumẽ ad omnia percipienda eximium ſuppetit, cùmq; vires ſuæ naturæ ad malum flexerit, non amiſerit, incredibili verſutia, atque vſu rerum præditus interiores quantumuìs hominum cogitationes ſępiùs attingit, tametsì in animæ ſubſtantiam paratum non habeat acceſſum, vt apud D. Thomam p.p.q. 57. art. 3. & 4. de cognitione Angelorum videre eſt. idem Chriſtum Dominum Deum eſſe antè mortem oppidò non cognouit, vt habetur 3. p. q. 44. ſed miraculis perturbatus dubitauit, & ſupplicio experimentum fecit: cùmq; Lucas inquit [exibant Dęmonia à multis clamãtia, & dicentia, quià tu es filius Dei, & increpans non ſinebat ea loqui; ſciebant enìm ipſum Chriſtum.] non abſolutè nouiſſe Dęmones diuinitatem Domini, ſed coniectaſſe interpretandus eſt. Quamobrèm ità comparatus eſt Dęmon, vt aliquo modo Iudithæ propoſitum inueſtigare potuerit, & ſaltem confusè pertingere, prout confusè Superbia locuta eſt, neq; ad Holophernis obtruncandi conſilium peruenit. Quod ſi conſtantèr videtur affirmare accedere

dere Iuditham ad inferendum malum, ſciant aduerſarij morem eſſe ſuperborum ſcientiam ſibi rerũ omnium arrogare, atq; incertiſſimis in cauſis ſuæ aſſertionis auctoritati certitudinem ſummam tribuere; neq́; à verſutia procùl abeſt, vt noſſe te ſimules, quæ cognoſcere concupiſcis. Quod egere Dęmonia cum Chriſto fortaſsè frequentiùs, cum illum Deum appellarent, quem ignorabant, vt allicerent ad fatendum. Huic reſponſioni addam alteram breuiorem, ſimplicioremq́; :ea eſt; nos conſtitutionem noſtri poematis ſecutos fuiſſe, ex qua Iudithæ conſilium non adeò in occulto fuit, quominùs Dęmoni innoteſcere potuerit, cum in primo libro de tota re ſermonem cùm Abra habuerit luculentum, quod etiàm ſuo loco ab oppugnatoribus vindicauimus.

Supereſt Lethæi fluminis mentio in quarto cui ſuccenſent delicatiores iſti plurimùm: nam vbi de Infernalibus, & purgatorijs locis, quæ de fide, verba fiunt, fluuium exhibere, quæ mera eſt fabula ab Ethnicis excogitata, incongruens, religioniq; haud conſentaneum videtur ratq́; adeò capitale mihi indicunt. Magnam verò scioli iſti religionis vindices diſputandi cupiditatẽ præſeferunt, cùm illa reprehendunt, quæ in probatiſſimis auctoribus, nec poëtis dumtaxàt, paſsim leguntur. Mitto Dantem virum grauiſſimum, eumdemq́; à recta fide, ac pietate non aberrantem, qui non modo fabuloſis Ethnicorum fluentis ſuum rigauit Infernum, ſed quæcumq: à veteribus inuenta nactus fuit, eò ampliſ-

plissimè contulit. At Tondali historiam apud Dion. Carthusianum. Sanctissimum hominem in Nouissimorum libris quisquis viderit, sanè facilè colligere poterit, quantò liberiùs consultiùsq; istiusmodi nomina vsu iamdiù recepta in Poësim trãsferantur. Sed percunctari libet, quidni de somno obijciant idem, cui persona neutiquàm inest, nisi ex fabula, & superstitione priscorum temporum? Damnant locum, personæ parcunt. Respondebnnt fortè somno, qui aliquid reuera est, per Prosopopoeiam, vt Rethores vocant, personam salua religione tribui posse, cum in commentarijs qnoque sacris huiusmodi adumbratę dicendi formæ pleræq; reperiantur. [O mors, ero mors sua. Putredini dixi, pater meus es tu.] Sapientia præterea persona prædita, & loquens exhibetur. [Dominus possedit me in initio viarum suarum. Sapientia clamitat] & plura generis eiusdem, cùm tamèn neq; mortis, neque putredinis, neque sapientiæ (nisi Verbum diuinum sapientiam increatam significare velimus) persona sit; sed Lethen omninò nihi lesse nisì merum antiquitatis deliramentum, & sacro opere neutiquàm dignum. Ego verò qua ratione somni personam cõcedunt, eadem lethen quoq; tueri confido: nàm quemadmodùm Prosopopoeiam sacræ litteræ admiserunt, ita metaphoricas plerasq; locutiones nequaquàm erubuerũt, neq; enim ornatius quidpiam, eut florentius hoc in genere Dauidis oraculis, Salamonis Canticis, Sapientia, Prouerbijs, nihil affluentius

tius sermonibus Iob, Ezechielis, Danielisq; vaticinijs; nihil affluentius Ioannis Apocalypsi; in qua præ cæteris equos, arma, phialas, Ciuitates, flumina Propheta sanctissimus, tanquam in Theatro repręsentauit; alioquì figmenta, nisi mysterijs munirentur. Igitur in Lethe nihil peccatum, cum in tropicis, atq; allegoricis huiusmodi loquendi formis nulla ferè habeatur verborum ratio, sed interioris notæ, neq; in fabula veritati locus desit, proùt initio defensionis demonstratum est: ętenim quam obliuionem indicat græca vox λήθη, ea notari animas post excessum ex hac vita, & memoriam amittere sensitiuam præteritorum Philosophi, Theologiq; consentiunt, vt in supplemento ad D. Thomam q.70. art.2. disseritur luculentèr: Abrahamus etiàm cum anima diuitis extincti apud D. Lucam, tanquàm cum oblita, locutus scribitur. Amnis propterea Lethe fingitur, quòd nihil amnibus inueniri posit ad abluendum, delendumq; comparatius. Porrò somnus quam obliuionem rerum inuehat, hoc quoque nomine imago mortis, neminem latet, vt non immeritò propè fluentum obliuionis positus fuisse videatur.

Quid verò dicant aduersarij, cum è sacris ipsis litteris, si minùs Lethen, at cognatum vtique fluuium, & notæ eiusdem erumpere demonstrauero? etenim Iob, penès quem Pleiadas, Hyadas, Arturum, & Oriona, Ethnicis vsurpata vocabula reperimus, glareas etiam Cocyti cap.21. recenset. At Deus bone, quis in Inferno Cocy-

tus est, nisi per significationem, qua luctum designat? Quòd si Cocytum memorare licet, quidni Lethen? Quid autèm peccamus, cum ab Ethnicis ea repetimus, quæ ipsi nobis eripuerunt?

Est alia quoquè obiectio, quæ pertinet ad Episodia, cui quia ex dictis responsio suppetit, eandem in nouissimum locum reiecimus, quamquàm ei ordine primus deberetur. Inuocationis versus illos magnoperè mulctant.

Quandoquidèm tenuem, cùm tantum pręterit æui,
Rerum ipsi nùnc multarum vix cernimus vmbram,
Et multæ sub nocte latent.

Etenìm historiæ sacræ quidpiam deesse si quis affirmet, expers sacrilegij non videtur. Quiescant verò pij viri, nec temerè insontem condemnent. Historię, prout historia est, nihil deęsse consentio, prout poesis, exercituum catalogos, concilia, sacrificia, conatus Dęmonum, Coelestium auxilia, & pleraq; huiusmodi, quæ initio quæstionis recensui, desiderari consentiant ipsi necesse est. Quæ quidem cùm sine detrimento veritatis ad ornatum, institutumq; poëtarum conseruandum, temperantèr supplere minimè dubitauerimus, ad has quasì historiæ interpretationes versus antedicti sine flagitio meherculè referuntur.

Nihil

Nihil perperàm deminutum probatur; oppoſitiones circà diſpoſitionem ex hoc capite pullulantes obtruncantur.

HActenùs de incrementis quæſiuimus, nùnc de decrementis, ac diminutionibus quærendum eſt, & quia ordinis naturam contingunt, vnà etiàm diſpoſitionem poëmatis conſiderabimus, calumniaſq; illius cauſa nobis illatas amoliri conabimur. Diximus omittere poëtam poſſe, quæcunq; ad vſum poëſeos in hiſtoria redundant. Haud ſecùs in Iuditha præſtitimus, atq; illam dumtaxàt hiſtoriæ partem ſuſcepimus decantandam, quam poeticis quidèm ornamentis, at ſine detrimento veritatis amplificare nobis nefas non videbatur. Principium libri Iudith vſq; ad cap. 7. finemq; itidèm prætermiſimus; ea quippè nihil faciebant ad cauſam noſtram, cùm ſatis fuerit nobis, qui Iudithæ actionem, canere propoſuimus, illam tantummodò partem decerpere, quæ ad aliarum facultatum rationem non pertineret: in qua etiàm parte minuta quædam ſilentio inuoluimus, quorum noſtra nihil intererat remque eo ferè modo tranſegimus, quo tranſigi à poëtis ex arte ſcribentibus oportere proximè oſtendimus.

At vero insurgunt, atq; ex hoc capite absurdum, vnum, atq; alterum disputandi fortassè studio deducunt, dispositionemq; poëmatis in primis feriunt: inquiunt enim ex Aristotelis, atq; interpretum præscripto integram actionem esse oportere, suum principium, suum finem habere debere. Bellum autem ab Assyrijs ad Bethuliam gestum in nostro poëmate carere principio. Egregiè profectò philosophantur, & arguunt; porrò errore nescio quo decepti, quid nobis propositum fuerit, non perceperunt; non enim bellum ad Bethuliam gestum canendum sumpsimus, sed, vt proximè innuimus, Iudithæ factum, cui satìs nobis est suum principium non denegasse: quod ab Homero consilium, quì præceptionibus Aristotelicis iter aperuit, in primis didicimus, cùm iram ille Achillis, non bellum Troianum scribere professus fuerit, tametsì Troiani belli scriptorem eundem appellet Horatius. Atquì bella huiusmodi tùm Homero, tùm mihi occasionem, non materiam suppeditarunt. Sed quos fefellit Ilias, Iuditha itidem nostra fallere potuit. Sin autem principium belli quoq; requiratur, ne ad morem gerendum molestis hominibus quidpiam desit, eccè idem in 3. lib. Episodicè relatum, ne vnitatem actionis dissolueremus, quam sub singulari persona illustri, vt videtur, ordine, ac mira varietate rerum texuimus, neq; sanè à bonorum vestigijs, eruditorumq; præceptis abfuimus in re proposita; legem enim sancit Horatius.

Ordi-

Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat iam nunc debentia dici
Pleraq; differat, & præsens in tempus omittat.

Exemplumq; affert.

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo,
Semper ad euentum festinat, & in medias res,
Non secùs ac notas, auditorem rapit, & quæ
Desperat tentata nitescere posse, relinquit;
Atq; ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Si licet indulgere paulispèr studio propulsandæ à nostro poëmate contumeliȩ, totam quæso eiusdem dispositionem ad hanc Horatij, Homeriq; lucernam exploremus.

Nos, ne Iudithæ cœptis causa desit, ab seditione obsessæ gentis narrationem ordimur. Ecce auditor continuò haud minùs sollicitus de belli exordio, quàm de fine; mox rapitur, pendetq; ambiguus, vt Iudithæ deliberationem intelligit; at dum succedit nuntij Hierosolymam dimissio, atq; in barbaris castris tumultus ab expectatione supremi euentus per nouam recentium euentuum voluptatem longiùs auehitur. Rursùs secundo libro ad Iuditham reuertitur; abit illa, & hic quoque insurgit animus, atq; ad exitum properat desiderio; sed suspenditur conuentu, altercatione, conatibus Dȩmonem, & suspensus delectatur; quod amittere videtur, ad lucrum est. Tandèm Iuditha in castris, Holophernes forma capitur. quis haud animo deuoret successum

iam

iam iam præsentem? aulæa verò cum imaginibus, custodisq; Angeli tutela moras inijciunt. Adest tertius liber; cùm eò magis ad pristinam redit auditor spem, quò propinquior videtur, tùm longissimè à Bethulia, atq; ab exitu rei abripitur, vnàque cùm nuntio Hierosólymam profectus concilio interest, sacrificioque, mox recenset omissa, sentitque optatam iamdiù se protasim reperisse, cùm catastrophen expectabat. iucunda verò retardatio, quæ per varias oras, per vniuersum Assyriorum exercitum mirantem manu deducit, qui auxiliorum apparatui haud frustrà adesse cunctantem iubet, quæ arma fatidica, futurarumque rerum prænuntia ob oculos ponit, ipsumque vnà cum suppetijs Bethuliam remittit. Quartus liber iterùm erigit ad spem exitus. Reditur in castra; consumitur animus impendentium malorum metu, & amore euentus, quem tamèn eodem tempore spe nouarum voluptatum, quibus iamdiù assueuerat, abesse desiderat: tùm cùm gaudio reperit, quo quæsitum tantoperè differat: legati adsunt Numidarum Regis instructissimi; Inde cœnæ splendidioris occasio, apparatusque: festinat animus, & moratur, quippè aliud sperat; nec fallitur. Ecce antè Deum Cœlestium preces prò mortalibus sollicitudo; Angelus ad Inferos, ad patrum limbum, ad Lethen fluuium; hinc somnum ducit in castra, hinc triumpho pars materiæ. Iam peracta est cœna, Holophernes in stratis sui impos; Iuditha in cubiculo; dum por-

portum tenet animus; adhùc hæsitat, ancepsq; cogitat, quomodò fœmina tantùm audeat; periculum illi timet, quæ sibi non metuit; falsus toties, & fallacia gauisus vix gladio, vix vulneri credit, & fluente sub oculis sanguine nutat fides. Tandèm Imperator obtruncatur: auditor magnitudine rei attonitus caput abscissum tractat, nec quiescit. Euadit Iuditha, neque hoc satìs; dubitat ille, quid indè sequatur, atque ad quintum ingenti studio festinat. Hìc verò quæ nequaquàm somniauerat, pleraque reperit. Erecti euentu virorum animi, & pudore excitati præreptam ab imbelli fœmina sibi laudem admirantur, æmulantur. Continuò ducum recenset catalogum, ciuium eruptionem, adhortationes militares auribus ebibit, castrorum expugnationem, hostium fugam, atque in fuga præclara multa, suppetiarum aduentum ab Hierosolymis, victoriam deniquè eximiæ Viraginis absolutissimam intuetur, & plaudit. E rerum contextu huiusmodi videre est, quomodò rapiantur, suspendanturque animi, quomodò nec principium, nec finis desit, vnumque ab alio pendeat, primo nec medium, medio nec discrepet imum; & nihil frustrà, quomodò libri quique sibi terminum quærant, & figant, quod à Iulio Cæsare Scaligero poëtis Epicis tantoperè commendatur. Iudithæ factum, vt in historia, hìc videas, historiam minimè videas, is enim

atq;

atq;ità implicitus est ordo euentuum, vt qui ignoraret historiam, ille nihil fortassè aptius, concinniusq; ad leges poëticas aut excogitari, aut disponi fortassè potuisse fateatur.

Audio tamèn mulctari mihi propositionem; nàm cùm suspensum haberi dixerim auditorem vsq; ad exitum, mendacij me accusant, quippè qui primo statim in vestibulo cædem Assyrij Ducis propono; quid enim præthereà expectet, qui summam rei initio tenet? Puerilis planè obiectio, cui respondere superuacaneum fortassè fuerit. Tenet, sed quid aliud Maro?

Arma, virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; venit
Littora &c. Quid Homerus? quid vniuersa Poëtarum classis peregit? Tenet, sed vmbram potiùs rei, quàm rem ipsam; tenet finem, medias res non tenet; circà modum Auditoris suspensio versatur, exitus aut fama, aut historia notus. Atquì cur dissimules, quod non latet? aut cur prætermittas quod, quamquàm palàm sit, tamèn in propositionibus est necessarium, si auditoris animus ducendus, captandusq; est? Equidem hoc vno reprehendendum me esse intelligo, quod huiusmodi ineptiarum rationem habuerim.

Quod alterum ex eodem imminutionis historiæ crimine contrà nos telum depromunt, haud omninò videtur negligendum, quippè quod plurium præstantium virorum hactenùs lacessiuit ingenia; contendunt enim

contrà

contrà leges factum cùm actio poëmatis Epici quinque dierũ spatio angustissimè concludatur: ad Epicã maiestatem pertinere, vt fabula tùm frequentia euentuum, tùm diuturnitate temporis adeò latè pateat, vt iustæ magnitudinis appellari posit; quæ quidem magnitudo de mente Aristotelis eiusmodi sit, vt exordium, medium, finem haud ægrè quisq; valeat tenere memoria. Hac de re variæ à doctis viris sententiæ feruntur: Minturnus spatium anni requirit, cùm citrà hunc terminum nullam posse actionem contingere ob magna euenta præclaram putet, idq; ab Homero, & Virgilio metitur; alij longiorem postulant; nonnulli breuiore contenti sunt. Castelūitrus autem sic statuit Epicam fabulam eò laudabiliorem haberi debere, quò actio infrà angustius dierum curriculum ingentibus factis ad exitum deducta fuerit. Nobis cũ eo sentire fas sit, cuius opinio probabiliori videtur rationi inniti; nàm cum tria sint, quibus poëmatis longitudinem metiri possumus, tempus nimirùm, quo res peracta est, spatium quo ad audiendum, seù legendum poëma requiritur, & captus humanæ mentis, atque memoriæ, cui exæquetur, primum quidem Aristoteles omisit omninò, de reliquis egit, videturq; postremum complecti potiùs, quàm secũdum, necnon iustam illam esse Epici Carminis magnitudinem, quæ neq; vnicum mentis obtutum, neq, captum memoriæ superet, definire. Quod enim ait ille in tantam crescere amplitudinem opus Epicum posse, quanta plu-

ta plurium Tragœdiarum, quæ simul exhibeantur, æquet spectaculum, vt multis negotium facessit ex eo, quòd neq; plures eodem tẽpore Tragœdiæ audiri possunt; neq; vna die continenter plures exhiberi, ita nihil mihi planè affert incommodi; nàm quod ad clepsydram metiuntur ipsi, ego ad animi mensuram referendum puto, hancquè adeò germanam illorum verborum interpretationem esse censeo, vt eiusmodi in Epopoeia quæri debeat magnitudo, quam plurium Tragoediarum interior animi perceptio, non aurium extrinseca consequatur. Quicquid sit, in hoc minimè laborandum videtur nobis, qui de primo genere, quod prætermisit Aristoteles, desceptamus, deq; tempore quærimus, quo res ad exitum perducta est, cuius limites angustiùs statuere meo quidèm iudicio scriptoris laudi amplissimũ est aditum reserare. Quid enim censeri potest admirabilius, quàm exiguo spatio res maximas comprehendi? id natura, id consuetudo obtinuit, vt quæ difficiliora, atq; ab vsu quotidiano remotiora contingunt, ea plurimi ab omnibus fiant; & miraculo proxima videantur, cuiusmodi sunt, quæ aut temporis, aut loci, aut aliarum rerum angustioribus septis amplissima continentur. Exempla in promptu: Temporis: celeritas profectò nihil minùs, quàm magnitudo rerum gestarum Alexandri, Cæsarisq; immortalitati nomina consecrauit, quorum alter fulmini est comparatus, alter [Veni, vidi, vici] ad summam gloriam in triumpho titulum prætulit.

tulit. nam quid ad Pompeij magnitudinē fuit illustrius, quàm piraticum bellum toto orbe prolatum tanta celeritate gessisse, vt priùs confectum, quam susceptum fuisse videretur? frigent res, si tempore affluant. loci: Sphœram Archimedis mirata antiquitas fuit, lusitq; in eam eleganti Epigrammate Claudianus, quòd paruo globulo, eoq; vitreo immensos coeli ambitus comprehenderet. Idem Cremonę contigit ætate nostrorum patrum: Faber enim deformitatis contemptissimæ, sed cui natura, & ars certatim ingenium expoliuerant, sphoeram itidem ædificauit tanta industria, & solertia, quanta vix mortalibus liceat. inerant Solis progressiones, Ortus, Occasus, Lunæ incrementa, decrementa, defectiones, Stellarum tùm errantium, tùm fixarum traiectiones, & nodi, anni partes, & quicquid in Coelo est, exiguo ære circumscriptum mira diligentia, artificioq; referebatur. Ita ùt pro miraculo haberetur, quomodò sub tanta oris fuligine tàm illustris animi, industriæq; claritas effulgeret, vt inexplicabilem tot orbium varietatem, & motum, totque astrorum concursus, & recursus, quæ omnia in Coeli amplitudine, ac maiestate acutiores oculi intueri vix possunt, in perbreui pila luminibus peragraretur, ac planè distingueretur. Id portentum ab ea Ciuitate Carolo V. dono datum, quasi nihil magis, quam Coelum deberetur Imperatori, qui terræ ambitum superauerat, auidè, lætanterq; acceptum est. Miramur itèm, si quis cùm tenui militum manu im-

mensum exercitum profligauit; si quis modico penu, leuiq; sumptu lautissimum epulum dedit, & plura id genus. Adeò ardua, & rara suspiciuntur, plana, & consueta contemnuntur. Quò magis mirandum videtur, tantas res breuissimo quinq; dumtaxàt dierum ferè momento intrà similitudinem veri apùd Bethuliam geri potuisse, quæ iusto poëmati materiam oppidò amplam & magnificam suppeditarunt.

Nihil temerè immutatum defenditur.

QVæcunque in incrementis, decrementisq; me peccasse reprehendunt, hactenùs exposita, & reiecta sunt; nunc quæ à me immutata, neq; historicæ fidei consentientèr narrata fuisse superstitiosi isti cauillantur, supersunt explicanda, probandumq; à sacro textu quemadmodùm alienus minimè fuerim. Obijciunt primo loco sitim, non famem seditioni Bethuliensium causam suppeditasse; de siti apud Oziam populum questum, de fame nequaquàm. Ita 3. cap. Hist. sac. litteris consignatum. Ad hoc respondendum puto, quicquid de Serarij, atq; aliorum sententia sit, qui famem in Ciuitate neutiquàm fuisse contendunt, Iudithæ sanè ipsius ad Holophernem verba secùs ostendunt, illa enìm de fame loquitur nominatìm, neq; mendacij notam temerè inurere sanctissimæ fœminæ iustum videtur, proùt in prima quæstione satìs commodè mõstratum est. Præterea

rea fames, ſitisq; ità sũt affines; & correlatiuę, vt ſub vno, eodemq; genere comprehendi, atq; ad vnum, eundemq; ſenſum vtrasq; pertinere negandum non ſit; altera quippè cibi, altera potus appetentia eſt; altera humidi, & calidi, altera humidi, & frigidi; in vno conueniunt, in reliquo diſcrepant. Famis vocabulum communius videtur, atq; ad ſitim quoq; ſignificandam latius patere; fortaſsè quia ſolidioris, potiorisq; rei eſt appetentia, immò & viuidioris, cum calor ad vitam pertineat, frigus ad necem. Volũt tamèn diutiùs famem tolerari, quàm ſitim, quæ atrocior, vehementiorq; ac citiùs interimit; cùm calor vires habeat actuoſiores ad euolandum; & ſanè ſitire dicimur, cum impotentèr aliquid deſideramus. Ità Medici, proùt refert vt plurimùm Fortunius Licetus in eo, quem de illis, qui diù viuunt ſine cibo, commentarium dictauit; quamquàm & de hoc poſſet fortaſsè diſputari; noui enim ego Romæ virum principẽ Oratorem olim Gallorum Regis; cui in inteſtinis accepto vulnere potu interdictũ perpetuò fuit. Vna dumtaxàt in annũ die ſtato tẽpore ſemèl licebat. Igitur ſine potu viuebat ille, ſine cibo nequaquàm; niſi fortè dicere velimus humidioribus adſueuiſſe, à ſalſis, & calidioribus ſitim cientibus epulis abſtinuiſſe. Vt vt ſit, aut alteram vſurpare prò altera, aut per Synechdochen ſpeciem pro genere collocare, aut vnã prò vtraq; dicere nõ videtur abſurdũ. Maro quidèm ſapiẽtiſsimus Poëtarũ famẽ in veſtibulo inferi regni inter mala numerauit;

ſitim

ſitim præterijt. at non ne malum ſitis? & quidèm atrocíſsimum, & quale nupèr commemorauimus; ſed vir ſummus vtramque ſub vno vocabulo comprehendere voluiſſe putandus eſt. Porrò expoſtulationum populi cùm magiſtratibus, ſermonisq; Iudithæ apud Holophernem non eadem eſt ratio: Iuditha cum hoſte colloquens, cum quamcunque vellet ſiuè famem, ſiuè ſitim vſurpare poſſet, communiorem elegit, eamq; calamitoſum Ciuitatis ſtatum quæ apertiùs doceret; ſitim ſilentio inuoluit, quia fortaſsè neceſſarium non exiſtimauit rem exprimere notam homini, qui fontium vſum obſeſſis ademerat. Populus, cum apùd ſuoſmet Duces lamentaretur, eam cauſam attulit, qua atrociùs conflictabatur, cuiq; minor ſpes medelæ; plura enim ad tollendam famem induſtria demonſtrat, ad ſitim exhauſtis puteis, ablatis fontibus nihil ſupererat; ambo ſiluerunt alteram, non negarunt. Patet itaque nullam à nobis veritati, & ſacro textui iniuriam illatam.

Inſimulant ſecùndo loco me facti tempus præuertiſſe, ſuccenſentq; ex hoc capite vehementèr; planum enim eſſe aiunt in Hiſtoria Nabuchdonoſori, non Ochi temporibus Iudithæ victoriam contigiſſe. Detur religioſis hominibus, quod fortaſſe immodicè concupiſcunt, ſed mihi quoq; obſecro, non negetur inter multiplices opiniones poëtæ, cui veriſimile ſatis eſt, in poteſtate poſitum eſſe complecti quamcunque velit. De huiuſmodi quidèm propoſitione ambigit nemo; id in

rebus

rebus ad actionem spectantibus, ad artem, ad naturam ex arbitrio semper poëta facit. Multus est in hoc Mazzonius, exemplisq; poëtarum paginæ refertæ sunt. Esse autem hac de re plures scriptorum sententias exploratum, perspicuum est. Melchior Canus l. 11. de locis Theol. c. 6. & Carion. in Monarch. 2. ante captiuitatem Babylonicam fuisse tradunt, tempus ad amussim non definiunt. Genebrardus lib. chronol. 2. in Sedeciæ Regis tempora; Ioannes Bentius, & Ziglerus in Iosiæ; Bellarminus Cardinalis vir doctissimus, & pijssimus in Manassæ Regnum contulerunt. Post captiuitatem ad Nabuchdonosorem magnum reuocat Zonaras. Eusebius vero, Beda, Rabanus, Glycas, Otho Phrysingensis, Lyranus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Driedo, & plerique alij ad Cambysem; D. Augustinus lib. 18. de Ciuitbte Dei c. 26. in medium tempus à Cyro ad Darium conijcit. Suidas, Iulius Africanus, Ribera ad Xersis, Mercator ad Darij Hystaspis filij, Sulpitius Seuerus ad Artaxersis ochi tempora transferre conantur. Videant planè obiectores quot sententię, quamquè inter se diuersæ mihi aditum aperuerint, vt etiamsì Bellarminij opinio melior Serario videatur, probetq; rationibus, & multis, & minimè contemnendis, nihilominùs mihi integrum fuerit Sulpitium sectari. Feci verò non vna ex causa, nam & pace tantorum virorum post reditum à captiuitate Babylonica in Iudæam contigisse huiusmodi victoriam censeo, neq; ab ipsa sacri textus in

quinto

quinto capite lectione recedo disertis verbis idem oppidò demonstrante; & cum Vagao, siuè Baguas Spado Ochum Regem iugulauerit, Vagaonis in libro Iudith incidat mentio, vero simile in primis videtur eundem Baguam fuisse, qui Holophernem Bethuliam vsq; secutus est, & qui Ochum interemit; in antiquioribus quippè successibus à communione vocabuli ad communionem rerum gestarum facilis transitus; cumq; plures Hercules fuerint viri fortissimi, ad vnum tamèn insignia facinora referuntur. Baguam verò nostrum eundem fuisse, qui Ochum de medio sustulit, non minimum nostro poëmati ornamentum affert, vt in quinto libro videre licet. Ad Hesteris quoq; Historiam intertexendam posteriorem tempore Iuditham statuere opportunissimum iudicauimus. Quodq; acriùs vrgere videbatur indecorum Regi existimauimus Rempublicā deserere tanto in periculo constitutam, quemadmodùm fatendum erat, si bellum huiusmodi sub Manasse necessariò statuendum fuisset. Quod in vocabulis Nabuchdonosori Regis, Assyrijq: Regni fundamentum locint, si tot historicis, Patribusq; qui ad fidem faciendā loquuntur, negotium non facessiuit, nihil est, quod Poetæ facessat, qui fidem historicam non requirit. etenim Nabuchodonosorus apud Chaldæos, Xerses, Artaxerses, Assuerus apud Persas, Pharao, Ptolemæusq; apud Aegyptios, Cæsar apud Romanos cognomenta fermè Regum sunt, quæ vti ex communione Regnorum communi-

municari regibus facilè potuerunt, ità faciliùs ijs, intèr quos ex morum ſimilitudine conueniebat. Ex quo fit, vt Ochus Nabuchdonoſoro, qui magni nomen ſortitus eſt, præter Regni titulum, ſuperbia, immanitate, impotentia nequaquàm diſsimilis, ſic apùd eas gentes Nabuchdonoſorus appellari potuerit, quemadmodùm apud nos quiſquis princeps crudelitate præeminet, Neronis nomine notatur. Nihil autem officit ſacra pagina, quæ de Aſſyrijs vnis verba facit, cùm & plurium Regnorum Reges in quacunque prouincia libuerit, ſedem conſtituant, & fieri potuerit, vt Ochus Aſſyriæ præpoſitus à patre primùm, Medorum deinde Regem Arphaxadum, ſeu Regni potiùs inuaſorem debellauerit; immò verò ſub vnius nationis nomenclatura cæteras quoq; eidem Principi ſubditas comprehendere neq; abſurdum, neq; inuſitatum videtur.

Ex his ad tertiam quandam obiectionem facilis reſpõſio patet: eſt autem tertia obiectio, cùm hiſtoria de Aſſyrijs dumtaxàt ſermonem habeat, contrà veritatem à me fuiſſe factitatum, qui hoſtes modò Aſſyrios, modò Perſas, modò Chaldæos, modò Medos promiſcuè appellauerim. At profectò ſi Aſuero Ocho rerum potiente id bellum fuit, Aſſyrios, Perſas, Medos, Chaldæos, & complures præthereà nationes eidem obtemperaſſe non eſt dubitandum. Aſſuerus certè Longimanus Ochi pater, de quo in libro Heſter, centum viginti ſeptem prouincijs imperaſſe perhibetur. Quamobrèm autèm de

 Aſ-

Aſſyrijs tantùm in ſacro textu, de cæteris nulla ſit mentio, illud quidem vel ad proximè allatas rationes, vel ad ſcribentis characterem referendum videtur. Cæterùm tantum exercitum ex varijs nationibus conflari aut omninò neceſſe fuit, aut maximam ſaltem veri imaginem præſefert atq; ad Rethorum ornatum dicendi genus in primis pertinet partem pro toto quandoq; vſurpare. Idem Homerus, Virgiliusq, factitarunt, cum Græcorum ad Ilium delectus nunc Argiuos, nũc Mirmidonas, nunc Achiuos, nunc Delopes appellarunt, qui haud ſecùs ſub vno Agamemnone, atq; hi ſub vno Holopherne promiſcuo agmine militarunt.

Pro lingua, & ſtylo peroratur.

EXpeditis rebus, ad verba, linguam, ſtylumq, tranſeamus; nàm in his quoq; nonnulli reperiũt, quod reprehendãt, quippè qui materno, vulgariq; idiomate malint, quam latino me ſcripſiſſe; pluresq; huiuſce rei probationes afferunt, tùm quià vt noſtratis linguæ vſus cómunior, ità opus à pluribus exciperetur, legereturq; tùm quià æquius videtur locupletare monumentis linguam noſtram, quàm alienam. Ità Hebræi, Græci, Latini propriam quiq; excoluerunt. Addunt latinè ſcripta recentiorum vulgò explodi, tanquàm exauctorata, atque ad maieſtatem, & cultum veterum minimè pertingentia, quæq; tandèm pædagogiam vtiq; ſapiant. Miſera verò ſcri-

ſcribentium conditio, quos ità oportet comparare ſe ſe, vt nihil eſſe in poteſtate ſua reliquum, & de rebus ſingulis rationem ſibi reddendam putent. Nos hæc tamèn nihil mouent, quominùs Iuditham Vindicem latinè decantaſſe iuuet. Enimuerò quibus ignoti non ſumus, ij palàm teſtari poſſunt, quæ nam ad communem quoq; linguam nobis inſtrumenta ſuppetant: ſed ad maieſtatem rei ſacræ pertinere rati à latino idiomate non diſcedere, hoc amplexi ſumus, Eccleſiæq; Sacroſanctæ conſuetudinem, atq; auctoritatem haud improbè ſecuti videmur. Atquì cum Italico ſermoni ęquè operam dederimus, neſcio tamèn, quo ducti genio, & voluptate ità ergà latinum affecti ſumus, vt nihil ſuauius, illuſtrius, auguſtius noſtris auribus illabatur: nàm, & grauitate in ſerijs pollet, & terrorem ad arma comparatum habet, & proprietatem ad naturã tenet, & flores ad ornatum parit, & nequitiam ad nugas fouet, & mollitiem ad amores ſpirat, omnium rerum compos, omnibus argumẽtis par, tantaq; vbertate præditus eſt, vt vel ipſam ſententiam ſuggerat, acutèq; dicta ſuppeditet mirum in modum; nam earum rerum, quas in latino admiramur idiomate, quæ non friget Deus bone in noſtrũ trãslata? Nolim alijs linguis iniuriam facere; at ſi mihi huiuſmodi genij mei ductum ſequi liceat, latinam cæteris facilè præferam, atq; vt Romæ imperium omnium maximũ princeps huiuſce vniuerſitatis Deus terra, mariq; tùm in prophanis, tùm in ſacris rebus largitus eſt, haud ſecùs linguã quoq;

tradidisse profitebor, quæ reliquarum ferè princeps eminere debeat. Noui ego me apud quosdam communis linguæ assertores acerrimos grauiter offendere: parcant verò, & pulchram filiam pulcherrimæ parenti non anteponi haud inuiti patiantur. Quod ad primam rationem contrà nos allatam attinet, quisquis à pluribus, quàm à melioribus legi honorificentius existimat, suo sẽsu gaudeat. Ego quidem sapientem lectorem malim, quàm imperitum; sapientes autem pauci, imperiti oppidò multi; neq; enim vnquàm animum induxi meum, vt tõsoribus laborare, atq; humilem famam per cauponas, & fornices venari operæpretium putarẽ. Immò verò cũ latino idiomate vsi sumùs, nobis non immeritò persuasum est scripsisse nos pluribus, quàm Hetrusco fecissemus, cùm latino communius nullum, non Italiæ limitibus, non Europæ finibus cohibeatur, sed vniuersum peruagetur terrarum Orbem, & cancellis Herculeis effractis ad remotissimas Insulas penetrauerit. Dicant oro censores isti, plures sint nec ne, qui Italicè in arcto Italiæ sinu, aut vix vllibi exteriùs loquuntur, an verò qui latinam linguam vbiq; terrarum callent? Neq; sanè in hoc non liceat mihi itidèm ambitiosum esse, qui, vt veram honorificentiam secutus sum, non eam, cui tantoperè inhiant, qui meis illam oculis non intuentur, ita nullis spatijs coërcitus eandem vberem, amplam, ne Oceani quidèm finibus comprehensam magnanimo ausu quæsiuerim. Ad secundam, tertiamq; rationes af-

fini-

finitate coniunctas migro; neq; Hebræos, Græcos, Latinos, ſuo quemq; charactere ſcripſiſſe nego: illud factitaſſe omnes non concedo; nam & Philo Hebræus græcè, & Marcus Euangeliſta latinè ſcripſere. Cicero ipſe, Cæſar, Latinorũ alij græco idiomate plura dictaſſe traduntur, quorum ſi monumenta extarent, nulla hìc nobis ſupereſſet neceſsitas diſputandi; cùmq; Athenas prò gymnaſio haberent, ad auctoritatem, ad elegantiam atticè plerumq; ſcribere, ac loqui minimè erubeſcebant; non enim linguę illi, à qua ſuam deriuauerant, eam calumniam importandam cenſebant, vt ipſam contemptui haberent; matrem fatebantur, magiſtram venerabantur, Platonem omnia Socrati accepta referentem imitabantur. noſtri verò cùm communem dicendi formam à Latinis acceperint, Latinos faſtidiunt, negliguntq; non ſic egere maiores noſtri, quorum egregijs monumẽtis omnia literarum domicilia referta ſunt. Quòd ſi antiquitùs Latini latinè ſcripſerunt, aliarum ſanè linguarum ratio diſpar; non Græci, non Hebræi ſermonis ea neceſsitas, quæ Latini; nàm cùm Romanum Imperiũ longè, lateq; ad remotiſsimas noti Orbis prouincias porrigeretur, vt latinè ſcriberent, Romanamq; linguam ditarent, rerum ſtatus exigebat. Quod quidèm etiã vſu venit apud nos, qui in vnam conuenientes Latinam Eccleſiam, latinum ſermonem adeò vſurpamus, vt hic omniũ Chriſtianorum communis, maternusq; habendus ſit. Qui explodunt, qui pædagogiam ſapere latrant, ij profectò aut deli-

deliramenti remedijs indigent, aut pędagogo; etenim ità fit, vt pleriq; damnent, quæ ab ſuopte ingenio remota ſunt. Cum autem negant ad antiquorum maieſtatem, puritatemq; à recentioribus perueniri poſſe, magnoperè quidèm non aduerſabor. Fracaſtorius tamèn popularis meus, Sannazarius, Vida, & pleriq; eiuſdem ordinis clariſſimi viri ſatìs oſtendunt, quàm proximè poſſit accedi; quod eò videtur admirabilius, quò non vnà cum lacte, ſed incredibili cum labore latinus nobis ſermo ſupereſt hauriendus.

Tranſeo ad ſtylum, in quo cum Virgilij puritatem, candorem, numerum pro viribus imitari ſtuduerim, audiamq; hæc ipſa à nonnullis eidem vitio verti, tanquàm arida, eneruiaq; vereor profectò, ne magnam cum ijs cõtentionem ſuſceperim. At quicquid ſit, malim mihi adeſſe vitia Virgilij, quàm eorum virtutes, neq; id temerè, nàm ſi quod decorum habetur, quærendum eſt, grauiſſimo poëmati grauiſsimus character aptandus videtur; Floſculi, effœminatarumq; ſententiarum lenocinia Epigrammati, & Muſæ lyricæ relinquenda; neq; enim decet eadem veſtis virum grauem, quæ adoleſcentulum. In hac verò Virgilij imitatione, cum nullius iurare in verba magiſtri ſoleamus, non adeò immodicè religioſi fuimus, vt aliorum quoq; poëtarum melioris notæ rationem non habuerimus; nam & ſentẽtijs ad Lucanũ, & ornamentis ad Claudianum pro re nata propiùs accedere conati ſumus, & ſeculo hunc pruritum exigenti, quã-

tum

tum expedire arbitrati fuimus, morem gessimus. Cæterùm de hæresi, qua laborant ij, qui Maronem penè fatuæ simplicitatis damnant, nihilq; asserunt noui afferre prætèr narrationem, nihil videtur statuendum, cum res in aperto sit; quod si diuini poëmatis præclara lumina non perspiciunt, cœcitatem doleo, & si tantus essem, qui medicinam adhibere possem, non inuiderem, cum vtiq; satis constet Lucanum, Claudianumq; non tam ingenij ductu, quam desperatione loci aliud iter inijsse: Quæ quidem res quemadmodùm primo obtutu Lucano meruit, vt Virgilio à plerisq; præferretur, sic consultiore deindè trutina pensitata pristinam Maroni dignitatem restitui consensit; Lucanus in ordinem redactus est; neq; ij, qui Maroni aduersantur, Lucani profecto esse meo iudicio malint, quàm Marones. Porrò dictionem latinam, perspicuam, non affectatam nauitèr affectauimus. Hæc verò sunt, quæ pro nostra Iuditha in medium afferre operæpretium existimauimus. Si rerum intima penetrasse, atq; obiectiones aptè propulsasse contigerit, non est, cur aliquis admiretur, cùm nemini notiora sint ingenij monumenta, quàm ipsimet auctori, qui quid sentiat, & velit, perspectum habet; sin secùs, rem integram sanioribus iudicijs vltrò remittimus.

FINIS.



Errata sic corrigito:

Pagina	Versus	Errores	Correctiones
2	8	littoræ	littore
6	26	ofidione	obſidione:
7	5	potamus	putamus
8	11	innutile	inutile
9	3	exibuit	exhibuit
43	23	Ducunt muros	Ducunt ad muros
49	6	Magnæ	Magne
53	26	tali	tuli
58	7	Quæ venis	Quæ ruis
59	2	diffūdunt	diffindunt
69	4	viridici	veridici
78	27	deficit	defecit
82	6	preferre	perferre
82	13	Rſepondit	Reſpondit
95	22	Silicèt	Scilicèt
104	1	quinq;	quemque
112	7	perrenem	perennem
118	24	fuere	fruere
136	22	aſlatur	affatur
142	10	exemplò	extemplò
241	1	contendere	contendant
245	72	ὄργᾶν	ὄργᾶνα
251	19	ingnauiæ	ignauiæ
255	6	nouos Deos, nouos reges	vt nouos Deos, ita nouos reges
262	27	narrare	narrari
267	27	ciſtodias	cuſtodias
268	1	mouendum	monendum
276	25	Jon ahtan	Jonathan
280	4	deuorauit	deuorauerit
284	13	congnomentum	cognomentum
284	21	cnnſilium	conſilium
285	1	fiſideliſſimæ	ſideliſsimæ
287	20	ratq;	atq;
288	26	eut	aut

Alia leuiora Lectoris iudicio relinquimus.

PROGNE TRAGOEDIA,

NVNC ITERVM EDITA.



ROMAE EXCVD. MASCARDVS.

MDCXXXVIIII.

FRANCISCO VARGAE CATHOLICI REGIS A CONSILIO,

& eiusdem apud Pontificem Max. Oratori.

VENETAM Academiam, Francisce Varga, Vir Illustris, nobilem inprimis atque omni scientiarum genere florentem, in quam ego proximis superioribus diebus, quod quidem in magna felicitatis parte constituo, sum adscriptus; cum ita erga te animatam à primo meo ingressu perspexissem, vt quam obseruantiam atque beneuolentiam principibus, ac nobilibus viris, eximiaq; virtute ornatis præstare consueuit, eadem te studiosissime prosequatur: cœpi ego statim incredibili quodam ardere desiderio, facultas vt aliqua mihi afferretur, qua tum ipsius Academiæ nostræ amplissimum in te studium tibi patefacerem, tum clarissimi in primis Federici Baduarij, quem tanti boni auctorem agnoscimus, egregiam ad te amandum animi propensionem indicarem. ea enim est virtus tua, ita excelso & illustri loco sita, non modo vt à tanto viro nobisq;, qui ab eius excellenti iudicio testimonioq; pendemus, sed plane ab omnibus, qui vbique terrarum sunt, mortalibus ametur, eximijsq; laudibus efferatur.

ac tui quidem tum animi, tum ingenij præstantia iam tum nobis cœpit elucere, cum apud Venetam Remp. primo quidem Caroli Cæsaris augustissimi, deinde Catholici Hispaniarum Regis nomine summa tua cum laude legationem semel atque iterum obijsti. tunc enim, quantum ipse vel maximarum rerum vsu, vel liberalium artium cognitione, vel pietate in Deum excelleres, dilucide perspeximus. iure igitur ad maxima tractanda negocia te vnum ex omnibus Rex tuus potissimum delegit, qui apud Pontificem Max. oratoris munus his temporibus, ingenti motu fluctuantibus, in vrbe Roma sustineres. quo quidem in munere sic te geris, vt, quod dici solet, homo homini quid præstet, facile omnes intelligant. Verum illi felices, quibus contigit præsentibus tua singulari virtute frui: ego meam conditionem nimis inique patior, quòd, quo tempore meam tibi quamcreberrimo salutandi officio beneuolentiam incredibilem patefacere statueram, eo te nobis fortuna quædam abstulit, doloremq; ex tanta iactura susceptum vix vlla ratione lenimus. testis ego sum communis in hac præclara ciuitate bonorum omnium molestiæ; mei vero summi in te studij index tibi erit Progne tragœdia: quam, vt ipsius facile sublimitas indicabit, vel antiquam, vel antiquis, quæ maxime laudantur, certe parem,

rem,

rem, quæ multos annos in mea latuerat bibliotheca, nunc in tuo nomine apparere volui, consilio minime, vt arbitror, reprehendendo: cum poesis ipsa, vt optime nosti, cum philosophia, cuius peritissimus es, veluti quadam cognatione societur: quippe quæ humanæ vitæ mores explicet, obscuris fabularum inuolucris eadem omnia, quæ aperte solet philosophia, proponat: summam præterea delectationem pari cum vtilitate coniungat. neque vero te præterit, cum eius multa sint genera, in ijs tragœdiam non postremum locum obtinere: quæ cum acerbam fortunæ mutationem complectatur, quid aliud, quàm temperantiam Regibus ostendit, omnesque in summo rerum humanarum fastigio collocatos, ne quà corruant, aut prolabantur, alieno admonet exemplo? qui vero aut à natura, aut à disciplina hoc habent, vt virtutis ad studia contendant; mirum, legenda tragœdia quàm valde afficiantur: cum ab ijs malis, quibus alios vexari cognouerunt, se abesse procul intelligant. itaque non dubito, quin te etiam atque etiam nostra Progne delectet, vel ipsius argumento, vel poetæ ingenio, vel denique Academiæ nostræ, meaque præcipue obseruantia. nam, quod attinet ad mores lectione conformandos, nihil est, cur ipse à libris quidquam haurias. lætare

po-

potius animi tui præclara conſcientia, eaque fruere quaſi vberrima recte factorum mercede, eorum exemplo, quorum tu virtutes & imitaris & aſſequeris. Illud poſtremo loco ſummis precibus à Deo expoſcimus, vt, quod à viro ſapientiſſimo dictum quandoque cognouimus, grauiora tibi in dies munera ſimul cum ampliore dignitate committat: vt tantum re ipſa Chriſtianæ reip. prodeſſe poſſis, quantum animo tuo, rectiſſima ac laudabilia omnia maxime cupienti, ſatisfaciat.

Ioannes Riccius, legum Doctor, Venetus Academicus.

AR-

ARGVMENTVM TRAGOEDIAE,

QVAE DICITVR PROGNE.

TITVLVS huius tragœdiæ dicitur, Progne. Pro argumento autem prædicendum est, quòd, cum Tereus, rex Thraciæ, fatigaßet bello Pandionem, regem Athenarum; tandem conuenerunt, vt pax fieret inter eos; atque vt firmior foret, Tereus acciperet vxorem Prognem, maiorem natu filiam Pandionis. ex qua cum habuiſſet puerum, nomine Ithim; poſt quinquennium deſiderio Philomenæ ſororis accenſa, blanditur viro, vt eam ad ſe traduceret. ille impetratam à patre virginem inflammatus libidine oppreſſit; eiusq; comites morti dedit. quod cum ægre ferret puella, & ſe vulgaturam affirmaret; mota eſt ira tyranni, linguamq; eius ſecuit. poſt hæc, pauentem ſtabulo, quod forte propinquum erat etiam vrbi, incluſit: poſuitq; cuſtodes. ita re geſta, ad Prognem redit: ſimulatq; Philomenam, pelagi tempeſtate grauatam, periiſſe. Credidit Progne: ſed diu tantum ſcelus latere non potuit, ad Prognemq;, vti res erat, allatum eſt. Illa vero furiis doloris percita, ſimulans Orgia Bacchi, quæ tertio quoque anno fiebant, ad ſtabulum cum turba muliebri venit: cuſtodes necat: germanam ſecum trahit. poſtmodum autem vlciſci quærens, crudeliſſima mater gnatum vnicum interemit, patriq; epulandum appoſuit. Fabuloſe autem dicitur, Tereum & Marte genitum fuiſſe, quia cruentus fuit tyrannus, & nympha Biſtonode, ab eo per vim compreſſa. Progne conuerſa dicitur in hirundinem, Philomena in auem ſui nominis, Tereus vero in vpupam: cuius facies criſtata eſt, vt indicet regium caput: viuit autem ex ſtercore, propter memoriam comeſti nati.

INTERLOCVTORES,

DIOMEDES,

CHORVS,

TEREVS,

PROGNE,

PISTVS,

NVTRIX,

NVNCIVS.

TRA-

TRAGOEDIA,

CVIVS TITVLVS

Progne.

DIOMEDES.

LVCOS & amnes desero inferni Iouis:
Ad astra mittor supera conuexi poli.
Neque enim inter vmbras noxius visus furor
Est vllus æque: Thracia heu solus potest
Explere furijs corda Diomedes: nefas
Odisse liceat: crimini datum est satis,
Satisq; sceleri: deprecor sontis plagas:
Amare liceat: addite ad pœnas meas,
Si quid potestis dira Furiarum agmina:
Titana pubes exuat vinclis manus
Cælo rebelles: æneis nodis premar.
Nil iam recuso, Sisyphi premat lapis.
Me ludat amnis Tantali, vel Ixionis
Iaculetur orbis: crescat in pœnas iecur.
Parum videtur? torqueat per me suas
Phlegethon arenas, igneo torrens vado.
Cur me innocentem facitis alterna vice
Sceleris nefandi Thraces? agnosco scelus:

Pars iam peracta: noſter explebit nefas
Aduentus. vnde hoc? omnis areſcit ſeges:
Senſere terræ? deficit pratis color,
Quacunque gradior: fontibuſq; humor ſolitus
Deeſt, cauernis intimis quærens fugam.
En alta cerno decora natalis ſoli,
Thracoſq; muros: regia eſt illic locus:
Atque hunc ſuperbus alta pro templo pater
Gradiuus ipſe limina horrendus tenet.
Pudet referre: facinus agnoſco meum,
Stabulumq;, quo me victor Alcides feris
Obiecit ipſe, pabulum armentis ducem.
Sed ecce ſubeo regiæ limen domus,
Aulamq; Terei. quid hoc eſt? fugiunt retro
Verſi penates: decidunt flores noui
Numinibus ipſis: miſera ne trepidat domus?
Venio coactus: quis nouus cogit furor
Dirum profari facinus? agnoſco nefas.
Nunquam vacabit ſcelere Diomedis domus:
Nunquàm nocentes leuiter Thraces erunt:
Peccatur omne ſcelere quod vincat ſcelus:
Semperq; veteris præterit formæ modum
Crimen quod oritur; obruit recens vetera:
Paruumq; quod fuit ſcelus, dum fit nouum.
Matris furorem cerno, & euerſam domum,
Miſerumq; patrem: video crudeles focos,
Et ſparſa pueri viſcera, & diras dapes.
Menſæ

Mensæ parentur: sacra splendescat dies:
Abominandum, pessimum, horrendum, nouũ
Odrysia facinus prima concipiat domus,
Suumq; vincat scelere crudeli genus.
Vix, cum peractis seculis olim polus
Ardebit; ignis cum mare & terram ambiet;
Numeretur aliud; vixq; posteritas fidem
Datura famæ. ò semper infamis domus:
Sileatur omne veteris errati scelus:
Stupra nefanda vile sint crimen domo.
Satis ne dixi? iam satis: facto est opus:
Obsedit animos impius mentis furor:
Flagrat cupido turpis: inuenta est via:
Scelus patebit: carbasa extendat Zephyrus:
Velis citatis prospero cursu natet:
Tandem fauebo Thracio regi: redeat:
Redisse nollet. ecce solenni prece
Tereus vocatur: appara festum diem:
Germana venit. ora quis quatit mea?
Vocat flagello me ad infernos lacus
Erinnys: onere tellus infesto diu
Nostro leuetur: cetera explebit furor.



CHORVS.

ORTE Saturno, pelagiq; rector,
Qui leui curru gradiens per æquor,
Temperas pontum, quatiens tridentem,
Sterne ſecura pelagus quiete.
Tuq; ventorum domitor procellas
Qui regis, duro reſeraſq; ſaxo,
Te timent nautæ, trepidiq; adorant:
Tu potes actum pelagus tumultu
Sternere, atque idem ſuper aſtra ferre:
Tu pater nimbos, nebulaſq; torques:
Thraciæ plebi faueas, precamur:
Adſit actutum Tereus citata
Puppe: nec velis cadat aura, donec
Thracios portus teneat tyrannus.
Rex, victus prece coniugis
Reginæ, pelago caput
Commiſit, fragili rate:
Venti perfidia nihil
Contactus, ſoceri domos
Portu Mopſopio petit.
O qualis pietas thori!
Nutritur face mutua
Sacrati thalami calor.
Orpheus Eurydicem ſuam

Quæ-

Quæſitum petijt lacus
Auerni, & miſeræ Stygis,
Vectus flumina trans nouem
Interfuſa vadis. lyra
Motus portitor aurea,
Orantum immemor hæſerat.
Illum vt Tartareus canis
Ripa proſpicit vltima,
Caudam deliniens ſtetit.
Mirantur fidibus nouis
Manes: nec ſitiens ſenex
Curat flumina Tantalus,
Non ales Tityi iecur:
Hæſitq; Ixionis rota:
Saxo Siſyphus inſolens
Inſedit: ſtupet Æacus,
Et cum coniuge luridus
Pluton: qui quoties velit
Iraſci, toties prece
Placatus, Racheſim iubet
Vitæ ſtamina nectere.
At ſit mitior Orpheo
Tereus, cælicolum genus:
Omnes, principe reddito,
Soluent vota calentibus
Aris: & tremuli ſenes
Spargent pocula Lesbij:

Et cum virginibus ſimul
Inſontes pueri canent.
Echo montibus abdita,
Reſpondet Rodopes iugis.
Quæcunque & Tanais rigat;
Qui cum frigore duruit,
Plauſtri conteritur rotis;
Nuper remige percitus,
Duro fert equitem vado:
Omnis Thraca decentibus
Saltabit citharæ modis:
Templa & Biſtonij tegent
Sertis, & viridantibus
Ramis: in medio ſidet
Feſtus lætitiæ deus.
Sed quis profecto ſtrepitus è portu ſonat?
Accurrit vnde hæc turba? puppi regia
En arma præfixa: en Tereus abeſt procul.

TEREVS.

GRADIVE, gelidis ſiue ſub Rhodopes iugis
Feſſos iugales pabulo recreas nouo,
Aut nubifer vbi verticem Hæmus exerit,
Aut Othrys ingens; aut vbi ilicibus nigris
Pangæa reſonant; ſiue per populos agis
Currus cruentos; mellitum cernis pater

Gna-

Gnatum. tremiſcunt vltimi vires meas
Thraces: & omnis regio glacialis poli
Me me tremiſcit: arma Cecropidæ mea
Timuere: gnata, vixq; Pandion ſocer
Pacem impetrauit. nunc quoque è ſoceri ſolo
Conſpicuus hoſpes remeo: tot ſpolijs ducum
Præclara puppi tecta proſpicio libens:
En alta decora patriæ cerno domus,
Gratoſq; muros: iura quo reges ſolent,
Agnoſco templum, ſceptra geſtantes dare.
Verũ minime in patriam reducis animũ gero:
Deiectus animo traherer in Syrtes velut,
Vt exul vndis claſſe barbarica premerer:
Conſcia, licet nullus premat, mens premit.
Quid anime ſegnes? quod fuit ſummum, tibi
Dedere ſuperi: ſi quid errauit furor,
Fac ipſe liceat, facile quod reges ſolent.
Num cernis alta decori natalis ſoli?
Gratare tandem: non decet regem timor.
Sed ecce littora remige aſſiduo ſonant:
Lætantur omnes: obuiam cuncti ruunt:
Aderitq; Progne. quas miſera voces dabit,
Poſtquam ſororem cernet abſentem, ſibi
Diu expetitam: conſilia tegent nefas:
Simulabo victam turbine immenſi maris,
Demum peremptam: lacrymæ facient fidem.

TE-

TEREVS, PROGNE.

O FIDA consors, multa post maris virum
Pericla cernis. *PRO.* Lætor incolumem: sed hæ
Lacrymæ loquentis (talis in patriàm redis?)
Cur ora complent? vbinam est soror mihi,
Optate coniux? viuit, an morte occubat?
Effare aperte: mæror augescit mora.
TER. Pelago perempta est (hi mei reditus) soror.
Velis citatis prospero cursu ratem
Strimonius Aquilo vexit ad soceri domos.
Egressus adij. forte tunc Rex Palladis
Ad templa summæ præsidem orabat deam.
Opima feriens colla stat comptus caput
Vitta sacerdos: ipse sacratis focis
Spargebat aræ thura solenni prece.
Tunc me lacertis senior affusis ait
Complexus: Vt vt te gener, dum spiro adhuc,
Iuuat videre: nunc reiuuenesco senex:
Valet ne Progne? superat & carus nepos?
Sed quid moramur plura? vix multa prece
Gnatam impetraui: spondeo celerem reditum
Ægro parenti: ast olli in amplexu vltimo
Singultus ora patria oppressit grauis:
Aptant carinas socij, & antemnas ligant.
Decrescit omnis terra paulatim: vndique
Cælum,

Cælum & mare: ſecat ſpumeum pontum ratis:
Ac pone placidus exultat delphin ſalo.
Et iam diei finis: in nubem cadens
Sol, paſſus oculos, mergit Oceano rotas:
Rubicunda Phœbe ſurgit: ac ſtellæ cadunt,
Et ecce nubes denſa cæruleum æthera
Inuoluit: altis montibus fragor ſonat:
Et tunſa late ſaxa latratu gemunt.
Caligo cælum texit, & crebri micant
Ignes: at Eurus ſurgens orientem mouet.
Repente pluuiæ nubibus ruptis cadunt:
Tumeſcit æquor: latera nauigij tremunt
Colliſa: pulſat ſidera, & arenas ciet
Vis vaſta pelagi: ſæpe diducto freto
Immergit, & nunc erigit cælo trabem.
Conclamo: ſocij ponite antemnas; labat
Carina. & ecce deſuper turbo rapax
Ferit rudentes: pontus in puppim niger
Fertur: procella malus immani tremit.
Non grata nautis occidens nunquam micat
Glacialis arctos: ſidus, Arctophylax, tuum
Texere nubes: omnis eripitur polus.
Erramus adeo curſus incerti: neque
Noctem diem ve digeri ſinit polus.
Hæc inter acri percita ſtomacho ſoror
Deuicta demum eſt, euomit: membra labant:
Nec alitur vllo corpus infirmum cibo.

Non is genarum fulgor, vt quondam, decens:
Tumor per artus abijt afflictos grauis.
Tandem reuoluta posuit in sinu caput
Letho grauatum: soluitur corpus gelu:
Anima per ora flentis ad manes fugit.
Nec dum omnis abijt fulgor: in vultu pio
Mors quoque placebat. talis in viola nitor,
Cui forma nondum fugit; & prato caret.
Non hos dolores fluctus inuisi minæ,
Sed dij dedere. testor imperij decus.
Vix clausit oculos dextra, cum ventus minas
Posuit; resedit omnis extemplo furor:
Cessere nubes; vasta tempestas perit.
Lætamur: ecce remi & antemnæ cadunt:
Optata miseris quarta cum luce astitit
Infausta tellus: quassa diluuio ratis
Subsedit anchoris: latere pontes cadunt.
Est collis altus: vltimi Thraces serunt:
Prærupta ponto media rupes eminet:
Curuata vallis humida & sterilis iacet:
Vtrinque silua claudit: ac montes tegit
Cupressus alta funebri ramo virens.
Hoc vbi potiti, quisque tabentes salo
Siccauit artus: horret & littus quoque:
Nec credit vllum grauibus ærumnis locum.
Tunc funus egomet manibus instruxi meis:
Ferro bipenni pinus impulsa eruit:
Cadit

Cadit cupressus: nemora cum siluis trahunt
Late ruinam: structa sublimis pyra
Cælo minatur: flamma per ramos sonat:
Ac fumus ater nube funerea coit:
Stridunt fauillæ: mæstus vmbratur dies.
Circum omnis astat veste funerea caput
Amicta turba: lacrymæ & planctus sonant.
Manes vocantur: turba ter rogos obit.
Postquam solutus debitus flammis honos,
Tegitur sepultus aggere excelso cinis. (nex?
PRO. Quid turba comitum? superat? vbi Pistus se-
TER. Vt carpsit ignis auidus appositam struem,
Cadauer vri cœpit vbi stratum super,
Vltra dolores ferre non potuit senex:
Irrumpit igni: seq; eodem conijcit.
Qualis securem taurus attonitus fugit,
Aut qualis acri concita Mænas iugis,
Agente Baccho fertur insano gradu;
Talis rogos petiuit afflictus senex:
Fidusq; alumnæ cineris vt foret comes,
Passus cremari: sed reor summum sibi
Fuisse, vt vnus ignis arriperet duos.
Alij reuersi nuncij diræ necis.
PRO. O mors acerba: ò multa frustratæ preces!
O sæua maria: ò mortis horrendum genus,
Et morte peius! quam dolor capiet viam
Crudelis? vbinam grauibus ærumnis modum

Statuam? ſorore, quid enim reſtat mihi,
Morte occupata? quid queror demens? ego,
Ego te peremi: cauſa noſtra hæc eſt ſoror,
Crimenq; noſtrum. nanq; dum propero nimis
Vnam videre, pene diſperſi duos.
Me me procellæ ferte in abruptum mare,
Scopuloſq; Syrtis: ferte diſiectam vndique,
Vbi nix alta canet æterno gelu;
Aut vbi propinquus pabulum feris negat
Sol; vbi venena, vbi herba peſtifera viret.
Me pontus, æther, me premat dirum chaos.
Vtinam ſororis pariter arſiſſem rogo:
Vbicunque iaceat Piſtus, inuideo tibi.
Nec te ſororis morte culparim Tereu:
Sors iſta fati debita, vt funus tuum
Soror viderem: quamuis hoc vetuit deus.
Potuere mortis fata largiri moram
Breuem ſorori. mæſtus heu forſan pater
Dat thura templis: ipſa iam Lethen bibit,
Secura mortis. tollite ornatus mihi
Regalis auri: veſte funerea dolor
Vtatur; iſtas ventus inuoluat comas:
Feriat lacertos inuicem exertos manus.
Sed cur monili colla Sithonio nitent?
Auferte famulæ.

TER. Tollite ad thalamos heram:
Potius iacentem reddat huic animum thorus.

CHO-

CHORVS.

NVLLA mortalis tenuit voluptas
Longa, nec vnquam miſeros tenebit:
Læta dat nobis adimuntque Parcæ,
Præpeti ſemper rapiente fato.
Nemo tam felix ſpatium ſenectæ
Finit. intactus modo natus infans,
Inter hos vitæ miſeros tumultus
Lege penſatur: ſedet atra cunis
Clotho, venturi comes vſque fati.
Nil fit æternum; ſolidumq; nil eſt
Rebus humanis. variæ voluptas
Quota pars vitæ eſt? ſubeunt labores,
Et graues curæ, miſeriq; luctus.
Nuper inſigni comitata turba,
Thracias inter veneranda matres,
Ibat, è collo radiante gemma:
Mæſta nunc deflet miſeranda Progne
Fata ſororis:
Victa quæ ſæuis pelagi procellis
Virgo defecit. feriat, licebit,
Ipſe vocali cithara querelas
Orpheus; nunquam ſuperos videbunt,
Cum ſemel leues animæ natarunt,
Vna quas vexit feriente remo

Cym-

Cymba deductis totiens lacertis.
Tiphys, inuicti domitor profundi,
Mortis inuenit noua fata primus.
Ante nec pontum ſecuere puppes;
Nec graues fluctus timuere nautæ.
Quiſque ſecurus placidis in agris
Vixerat; necdum ſenior marinos,
Littus egreſſus patriæq; portus,
Nouerat caſus, ſcopuloſq; ſæuos
Arte latentes.
Ille tranquillæ placidæq; vitæ
Ocia mouit,
Primus è terra reſecare funem
Auſus, & ligno fragili natare:
Iuſſit antemnas religare malo
Primus; & tortos ſtatuit rudentes;
Ac ſinus laxos, feriente Coro,
Tradidit audax:
Credulæ pontum ſecuere puppes:
Nauta tum ventos varios notauit,
Et minas cæli; poſuitq; pictis
Nomina ſtellis.
Naufragus picta vehitur carina:
Suppara è ſummo religauit audax,
Anchoram ignota ſtatuitq; terra.
Hoc genus lethi miſeros manebat.
Currat hinc illinc alius per æquor;

Solis occaſum videatq; & ortus:
Monſtraq; & ſæuos pelagi labores
Garrulus tuta referat ſub vmbra.
Me domus dulci ſaturet quiete
Parua: nec terras numeret remotas
Noſtra ſenectus.

PISTVS SENEX, NVTRIX, PROGNE.

QVAM grauia paſſus, defero è ſiluis gradum,
Infauſtus hoſpes, nuncius diri mali.
O ſors acerba! vix mihi ſufficiunt pedes,
Retroq; ducunt tramite errantem gradum.
NVT. Quid portat iſte trepidus è ſiluis ſenex?
Ni fallor, ipſe eſt Piſtus. *PIS.* O nutrix, vbi
Regina? *NVT.* Fare Piſte, quod partes malum.
PIST. Ad hoc malorum nuncio miſero eſt opus:
Ipſaq; Progne quo ſciat tantum nefas.
Sed ecce venit. *PRO.* Fidus extinctæ comes
Olim ſororis, nunquid à mæſto venis
Phlegetonte? namq; te quoq; extinctũ Tereus
Edixit: iſte prorſus inferni ſitus.
PIST. Me longus error, luctus & ſiluæ pauor
Deformat. illic teter increuit rigor.
Sparſus per humeros crinis: attractæ genæ:
Et crura dumis lacera. *PRO.* Quid cauſæ fuit;
Tentare latebras? ede fortunam ſenex;

Et-

Et quæ ſororis cura moriture fuerit.
PIS. Vtinã perẽpta. *PRO* Nũquid impoſitũ aggerẽ
Erexit humeris vmbra, remeata Styge?
Effare aperte, quidquid eſt: timeo omnia,
Et te, fatebor: iſta vix credo mihi:
Quæ clades iſta? nunquid & peius nece?
PIST. Mors ipſa votum. viuit, hoc ipſum dolens.
PRO. Quod lucis odiũ? *PIS.* Cui decus, melior ſui
Pars, perijt. vtinam corpus extinctum nece,
Saluo pudore. corporis perijt quoque
Pars magna. *PRO.* Mitte verba perplexe loqui;
Quis hic ſtuprator virginis claræ fuit?
PIST. Quem ſi reſcieris, ſcire pœniteat quidem.
PRO. Effare aperte; mæror augeſcit mora.
PIST. Hæret palato lingua; pulmonem grauat
Attractus aër: totus horreſco memor.
Aliquò procellæ deferant merſum caput,
Dum es innocens aduc. *PRO.* Fieri nocens
Cupio nefandi ſceleris; vlciſcar modo.
PIST. Vicina tellus nobilem portum efficit:
Vnde omnis vrbis pateat aſpectus, niſi
Oppoſta Rhodope brachium extendat mari.
Fluctu proteruo rupes exeſum latus
Oſtendit; hic nos ponere antemnas Tereus,
Curſu peracto, littus ad notum iubet.
Paremus omnes, ſceleris ignari, ocyus.
Vix prima tellus cœpit; (heu dirum nefas)
Abomi-

Abominanda ſcelera molitur Tereus;
Inſtat puellæ, qualis Armenius leo
Ceruæ pauenti, viribus vaſtis fremens.
Tentata precibus reſtitit virgo diu:
Coacta donec, ſæpe exclamato patre,
Sæpe & ſorore, ſtupra violenta pati.
Tunc ſciſſa crines ora pudibunda obtegens,
Acclamat: O crudelis! ò verum genus
Thracũ nefando ſcelere! quid primum querar?
Non te parentis tenuit afflicti fides,
Non dextra, non cognata proximitas? neque
Sacrum pudoris mouit intacti decus?
Pellex ſororis igitur amiſi decus?
At tu ſuperbus ſceptra geſtabis manu
Poſt ſtupra? nullus pro ſcelere tanto Deus
Perſoluet vltor debitas grates tibi?
Non ſic abibis: ipſa per populos loquar:
Aut ſi tenebor clauſa cuſtodum manu,
Mouebo ſaxa, & conſcios facti deos.
Teſtor pudoris numen aduerſum mihi,
Hac labe careo: corpus hoc tantum tulit.
Germana, tete ſi parum ſoror mouet,
Contaminatis aude pro thalamis aliquid,
Quod ipſa laudem: ſtabo, & implebo nemus.
Vix hæc. tyranno maior increuit furor.
Vt ſæuus anguis forte compreſſus pede,
Tumet veneno lubrico lapſu ferox.

Stabulum propinquæ rupis apparet cauo.
Seruabit hic te fida famulorum manus.
Iſtas catenas auferat ſoror tibi.
Nec plura fatus, forcipe apprehenſam ſecat
Linguam puellæ. faucibus radix micat:
Et murmur (heu heu) voce pro ſolita dedit.
Cruenta lingua palpitat moriens, velut
Longæ colubræ cauda, quæ celeri rota
Traiecta, partem quærit ereptam ſibi.
Poſt hæc pauentum cædis efferæ impetu
Obtruncat ipſe caſſa præſidia comitum,
Ne quo reſciſcas nuncio tantum ſcelus.
Hoc vile ſolus (fateor) è cunctis caput
A tam parata morte ſubduxi pedibus,
Tentare latebras auſus ignotas mihi.
Montes per altos ducor ex illo vagus:
Siluas & amnes luſtro permixtus feris:
Herbæ, & rubeti poma ſolantur famem.
Rami caduci pariter & flatus mouent
Strepente folio: ſomnus in vda fuit
Tellure: demum huc appuli feſſus malis.
PRO. O machinator fraudis: ò crudelior
Diomede Thrace; ſanguinis verus parens
Ille eſt nefandi. ſiccine obtendis dolo
Commenta mortis funera? & tantum nefas
Speras inultum? magna delicta diu
Latere nequeunt: ſequitur a tergo comes

Vindicta: ſcelere nemo lætatur diu.
Tereu, nefanda ſtrage turbaſti domum,
Poſt ſtupra fletus auſus ordiri nouos.
At nunc ſuperbus regio luxu incubas.
Lingua reciſa, carceris duri ſolo
Germana nudo recubat, vbi ſueti greges.
Non ſic iacebit clara Pandionis domus
Illuſa: miſera tollet aliquando caput.
Prodeſſe miſeri facile ſi nequeunt, nocent.
Inuenit odium ſæpe, quem arma nequeunt.
Indulge quæſo facinus: hoc nuper ſoror
Ad nos redundat: aderit actutum tibi
Vindicta: pœnas impius coniux luet.
O ter quaterq; morte felicem inuoco
Te te parentem: genitor euixit ſuper;
Reſtaret vt hoc tempore infelix pater.
In hunc dolorem fata ſeruabant ſenem.
Speranda iam tum iſta, cum hoſti barbaro
Sociata ceſſi. ſuperat hic animus ſibi.
Vtinam dehiſcens tellus hoc olim caput
Merſiſſet orco, bella cum primum intulit
Iuuenis proteruus. pacis heu pignus fui;
Vt hoc viderem facinus: in thalamis meis
Cruenta Erinnys crine vipereo ſtetit.
Hac, hac miniſtra facta ſum dudum parens;
Vteroq; ſemen impiæ prolis tuli:
Iterum ſorori ſpargere has comas iuuat.

Quo cedis anime? num ſoror lacrymas petit?
Agedum ſororem quære per montem ocyus:
Euerte ſiluas: carcerem horrendum erue.
Simulabo, Bacchi maior hic lateat furor.

CHORVS, PROGNE.

SACRA Thyoneo repetita triennia ſuadent:
Mollia Nyſæa cingamus tempora vitta.
Huc ades proles Iouis ætherei, matris
Ex vtero præuſte direpte puer.
Te te Thracia vocat tua.
Huc formoſe puer rite propitius,
Vultu virgineo dirige, nebride
Præcinctus virides rotas,
Variaſq; lyncas:
Lucidum cæli iubar aſtriferi veni.
Tertia ſacris remeauit æſtas:
Hedera virenti ornare iuuat madidos capillos.
Seu iubes ſpargi ſine lege ventis:
Te decet flauos religare crines
Floribus vernis, madidoſq; mirrha
Tergere ferro, & cohibere mitra.
Te decet molli religare zona
Luteas veſtes Tyrio colore.
Tu puer ludo placidæq; rixæ
Semper arrides: tibi mota pulſant
Tympana, & ferro ſpoliata buxus:

Nai-

Naides blandæ, ſatyriq; molles
Vſque mirantur niueos lacertos,
Et genas puras placida iuuenta, &
Lactea colla.
Huc adſis formoſe, vocãt nemora omnia circũ,
Vitiſator: quamuis te decolor India iactet,
Orgiaq; in toto reſonent trieterica Gange.
Thyrſos ſpargere nunc leues,
Intextos hederis iuuat.
Bacchis lampade nos vocat.
En omnis Rhodope ſonat;
Euan Ogygie adueni.
Mater Pantheos impij
Non hic commaculat manus,
Auellens humeris caput.
Hic cum Calliope ſatum
Fudiſſent miſeræ matres,
Mæſtum cum gemeret nemus.
Dignum pernicie ſcelus
Pendunt vindice te improbæ.
Te Rubrum timuit mare,
Et quæ decolor India
Cingit tempora pampino:
Thermodontiaci chori
Victoris genua inclyti
Addunt ſceptiferas manus,
Quacunq ue & niueos rigat

Gan-

Ganges flumine lucido.
Quidquid Sol nitidus videt,
Quodcunque Oceanus lauat,
Laudes Bacche tuas canit.
Naxon cum peteres tuam,
Diæ nobilis inſulæ
Solam littore virginem
Fouiſti placido ſinu.
Munus ſerta decentia,
Munus, Bacche, tuum tulit.
Idem perfida pectora
Fudiſti pelago puer,
Fruſtra brachia dum ſtudent
Lentare. in tenebras quoque,
Te Mineides improbæ
Dum ſpernunt, fugiunt citæ.
Dirige pampineas circum nutante corymbo
Bacche tuas: turpi veniat Silenus aſello.
Ad mare Threicio dũ flumine defluet Hebrus,
Dum Rhodope niuibus ſtillabit vere ſolutis,
Sacra Thyoneo repetita triennia mittent.

PROGNE.

ERVITE propere carceris duri minas;
Atque hos miniſtros regij iuſſus neci
Mandate: maior victima his cadet manibus:

Eruite propere: iam ſatis Baccho datum:
Inſaniendum eſt nunc mihi: inſtigat furor.
Huc è latebris procede ſoror:
Hic dies hic eſt, (germana veni)
Quo violenti ſtupra tyranni
Datur vlciſci. eia comites
Hederis frontem cingite Bacchi:
De more caput vitta coerceat:
Nebride ſacra latus inſtructa
Thyrſum vibret. ſoror ornatus
Hos cape mecum.
Quid mæſta tegis ora? quidue lacrymas
Fundis inanes?
Attolle ſoror pudibunda ſolo
Lumina: caſto libet amplexu
Fudiſſe pias per colla manus.
Hic ne genarum roſeus fulgor?
Oculi ne hi, geminum ſidus? cur
Hirtæ ſqualent per colla comæ?
Vnde hæc macies? fœdoq; pedes
Pedore graues? vix agnoſco
Membra ſororis: ſilet infelix,
Pallida vultus, etiamq; timet:
Vocis damnum muta fatetur:
Conſcia tantum numina monſtrat;
Cæloq; gemens ſpargit aperto
Liuida duris brachia nodis.

Fle-

Flete heu miſeram Ciconum matres,
Si qua eſt pietas: feriatq; humeros
Manus exertos: ſentiat æther:
Si qua æthereis numina regnis
Humana regunt, curiſq; pijs
Aures præbent, inq; ſuperbos
Acres mittunt fulguris ignes.
Strimonis vndæ fletu noſtro
Creſcant: gelidas viſere ripas
Iuuat, & ventis iactare comas:
Decet hic habitus noſtros caſus.
Sed quid trepidas, miſeranda ſoror,
Laribus noſtris inferre gradum?
Etiam times Terea dirum?
Teſtor tenebras noctis opacæ,
Ditiſq; domos, & Tartarei
Trina ora canis, Stygioſq; lacus;
Omnes quæram ſcelerum formas,
Scelus vlciſci cupiens: omnis
Fugiet pietas: per ſcelus omne
Eat in pœnas ferus hic animus.
Huc viperea valle ſorores
Adeſte: voco: dabit iſta dies
Aliquid longo ſemper in æuo
Immite, ferum. vincite Diræ
Coniugis artes: maiuſq; aliquid
Excute Progne: femina vincat.

NVT. Vultum furoris pelle: ne prodeat furor.
PRO. Heu, quis dolori ſit ſatis tanto furor?
Quæ pœna Tereo digna? quis Regi queat
Nocere diro? tota ſplendeſcat licet
Actæa ferro tellus, & ſummæ parent
Arces Cecropidum bella: deſertis licet
Campis colonus arma Biſtonius ferat;
Fruſtra hæc laceſſant. Parthicas olim timuit
Cecrops pharetras, gentis effrænæ impetus:
Audaxq; belli notus eſt dudum Tereus,
Viresq; regni: ſcilicet nullus premat,
Natura fines ipſa cuſtodit loci.
Hinc alta Rhodope nutat excelſis iugis:
Hinc vaſta Syrtis Geticum incurſat mare:
Mæotis inde ſtringit Arctoos ſinus:
Quas ſpes inanes voluis? ah neſcis miſera,
Vindicta quo conſtet loco. me me eſt opus:
Ego vel Athenis ſola ſum potentior:
Ego ſum timenda: deſinant reges licet:
Ex hoc timere coniuges diſcant patres:
Ego, dum nefando coniugi reddam vices,
Pergam, & nefando ſcelere complebo domum.
Bene inſtituto fiat exemplo nocens
Vxor mariti: coniugem agnoſcet ſuam.
NVT. Quò miſera pergis? quò furibunda rapis
Alumna mentem? rebus afflictis decet
Præbere fortes. vnica eſt mali ſalus,

Nescire vinci; quoq; demissa est magis,
Vires doloris opprimunt mentem magis.
PRO. Fluctu doloris obruor: non sum mea.
Talis carina fertur, amisso duce;
Cum sæua pelagi forte tempestas rotat.
Vos ò recentes cæde miseranda obruti
Adeste manes: facinus explebo ocyus;
Quocunque tantus iusserit dolor modo.
Vindex sororis dicar: vlcisci libet.
NVT. Et vindicanti sæpe vindicta obfuit.
PRO. Quemnam timebo, fata si nihil mouent?
NVT. An non timebis Bistonum vires mulier?
Non hic Athenæ. patrio tutam sinu
Fortasse credis? tellus hostilis premet.
PRO. Nihil morabor: perfidus luat modo.
NVT. Moriere. *PRO*. Moriar vlta.
NVT. Fama te moueat.
PRO. Non it ad vmbras fama: nec curant leues
Post fata manes, fama quid vulgi ferat.
NVT. Perimes cruenta morte crudeli virum? (bit.
PRO. Perimam:& nefando sanguine hic pœnas da-
NVT. Lassat sacrilegas vrna Belides: neque
Pensatur vllo fine tam tetrum facinus.
Si nil mouet te, respice at gnatum parens.
PRO. At quid sororem? iam ipsa cum gnato patrem
Cremabo flammis: ipsa iaculabor faces
In regna Terei: tota splendescat domus

Re-

Regalis: omnis eruam ſtirpis notas.
Super ipſa iaciar. eia membratim occidat
Diſcerptus ipſe: iam iuuat linguam trahere
Trucis tyranni: meruit hic, quidquid poteſt
Irata mulier. *NVT.* Siſte veſanos, precor,
Regina motus. maius hoc ira malum,
Tuisq; maius viribus: Rex eſt Tereus:
Multum paterni roboris ſæuus gerit.
PRO. Non ſi ipſe clypeum genitor opponat ſibi,
Pœna vacabit. quiſquis contemnit necem,
Rex eſt tyranni: moriar, vt mortem oppetat.
NVT. Horrore quatior: crinis erectus: pauet
Animus: reliquit oſſa conſuetus calor. (ror?
Quodnam hoc malũ eſt? quis tantus inſtigat fu-
En ora torquens mater aſpectu truci
Furibunda natum ſpectat, inuicem quoque
Vulnus ſororis: ſuperat, & creſcit dolor.
PRO. Quid hoc furore maius accreſcit malum?
Libet experiri, quidquid eſt, quod me mouet
Vltrix Erinnys: ora furiarum intuor:
Et ipſa Alecto crine vibrato ſinu
Iniecit anguem: lubricus venis meat.
Hortamur: eia, quod mare & terra horreat,
Inuade facinus: auctor audendi furor.
Quænam hæc ſororum funebre verſat manu
Ferrum? tremiſco. quis matrem impellit manus
Meculate duras impia nati nece?

Crudelis ille eſt: meruit vt facerem ſcelus.
Feciſſe pudeat: quò fugit cœptus furor?
Hoc hoc libet, quod timeo, vel ſi quid mali
Eſt peius vſquam: non placet primus furor.
Tereus ſuperſit; viuat, & viuat miſer,
Optetq; mortem: peius eſt votum nece.
Diſcede pietas: prima concipiam nefas,
Quod omnis ætas horreat. poſt me pia
Sit nulla mater: hoc ſed eſt etiam parum.
Medea Colchis cæde puerili manus
Maculauit. addam maius huic ſceleri ſcelus.
Magnũ eſt, quod animus fluctuat: quid ſit tamẽ
Ignoro. perge furor: prope eſt: par eſt ſcelus.
Nil quæro ſupra: coniugem hoc decet meum:
Noſtriſq; thalamis dignus eſt tantus furor.
Animum parentis pelle, (ſi quid eſt tamen)
Euerſa dudum coniugis noſtri fides.
Euicit ille, ſi qua ſit ſceleris mora,
Pietate matris: vinco, ſi propero ſcelus.
Quemcumque ſceleris miſeret auctoris, miſer
Et ipſe pariter: quidquid hic fuerit pium.
Quid hic morabor? crimini tantum hoc detur.
Eia anime meditata aggredi ceſſas? ſatis
Tempus querelis, iam ſatis tempus datum:
Parentur epulæ: ſacra ſplendeſcat domus:
Manibus parentis innocens cadat puer:
Vt ipſe genitor viſcera exedat ſua.

Per

NVT. Per has ſeniles deprecor mammas, hera,
Per ſpes aniles, perq; maiores deos,
Deſiſte cœptis. quæ barbara vlla immanitas
Commiſit vnquã facere, quod properas ſcelus?
Factura deinceps omne femineum genus
Nocens. recedat impius mentis furor:
Nec tale facinus clara Pandionis domus
Inuſitatum, peſſimum, horrendum paret:
Vindicta quouis abeat: hanc partem ſine.
PRO. Altrix (fatebor) pectora attonitæ labant
Vario tumultu: talis incerto ratis
Trahitur fragore, bella cum venti mouent:
Cogitq; pietas: matris hinc nomen vetat:
Indulge ſoror: ah potius impune hoc ferat:
Spes vna miſeræ matris hic ſolus puer:
Vteriq; noſtri cara progenies Itys,
Pignus parentis, vnicum afflictæ domus
Leuamen: etſi genitor, inuiſus mihi,
In omne facinus excitet mentem feram:
Quid enim tyranni liquit intactum furor?
Oblitus ille decoris, & noſtri quoque,
Miſeriq; patris, virginem oppreſſit comitem,
Fideiq; pignus: nec placet tantum ſcelus,
Niſi ſcelus addat: virginis ſocios necat;
Ipſiq; linguam forcipe apprehenſam rapit.
Poſt hæc, pauentem clauſit immani ſpecu:
Simulatq; mortem: lacrymas ſtruxit quoque
Periu-

Periurus: hæc eſt coniugis noſtri fides.
Poſt iſta dubitas ſceleris vlciſci miſera
Per omne facinus? pereat hic: non eſt meus:
Diro parenti ſimilis ah nimirum puer.
Diſce ex marito denique inſigne facinus
Audere Progne: fluctuat pectus, neque
Meminit parentis: tota ſum (fateor) ſoror.
Furor relinquat corda, ſi facerem ſcelus
Male ſana: pareat fructus: irarum eſt ſatis:
Ego ſum furore ei prior: emittat licet
Peſtes Auerni dirus vmbrarum arbiter,
Ipſas fugabo: non capit ſedem dolor.
Vtinam tuliſſem fœta natorum gregem
Vtero capaci; poſſet vt numerus matris
Satiare mentem: quod tamen venter tulit,
In patrem redeat: nil ſit ex illo meum.
NVT. Mater necabis vnicum gnatum tuum?
PRO. Eſt nempe Terei. *NVT.* Cur necem meruit puer?
PRO. Scelere paterno gnatus emeruit mori.
NVT. Iniqua ratio eſt, crimine alieno pati.
PRO. Cum iuſta quærit, ira paulatim cadit.
Non eſt furoris, capere menſuram ſceleri.
Grauis ira ſontem reſpicit, pœnam leuis.
NVT. Alumna, quæſo, nulla te pietas mouet?
Poteris nefanda cæde puerili manus
Maculare? poteris ipſa per pueri caput
Vi-

Vibrare ferrum? deprecor, mentem exue
Diri furoris: mater es. *PRO.* Soror quoque.
NVT. Alias nocendi mæror inueniat vias:
Enſes, venena, flamma vel ſontem premat;
Animamq; ſecius eggerat. *PRO.* Tellus prius
Geſtabit aſtra lucida, & cælum feras;
Priusq; luci præerit noctis dea,
Tenebrisq; Phœbus, quàm meus mutet dolor
Decreta mentis. *NV.* Facere quo properas mo-
PRO. Feſtus propinquat Thracio Regi dies, (do?
Quo mos adire coniugi tantum dapes,
Menſasq; Regis. aggredi licet patrem
Dapibus nefandis: ſanguinem bibet ſuum:
Huius diei faxo ſit ſemper memor.
Commiſſa nutrix occule. *NVT.* Hoc annis mea
Solet ſenectus tarda: præſtabo fidem.

CHORVS.

QVÆCVNQVE extat fortuna nimis,
Altoq; ferit vertice nubes,
Placido regnet licet in ocio,
Finesq; ſuos ambiat vnda
Tagus aurata, & gemmifer Iſter,
Nullo rerum pondere preſſa
Corruit in ſe, nec capit vnquam
Placidæ regnum limina vitæ.

Ani-

Animos Regum turbine verſat
Fortuna ſuo: rapit ambitio,
Vulgiq; fauor: plures mergunt
Nimij luxus, luxusq; comes
Dira libido. caſtus vixit
Iuppiter olim, cum Dictæo
Pauper in agro patrem fugeret.
Aſt vbi fregit ſceptra parentis;
Vacuoq; ſedens ſolus Olympo,
Sub ſe terras vidit apertas,
Tractusq; maris, & vaga ſidera;
Tunc Iunonem fallere cœpit:
Nunc Alcmenem capit Amphithruo,
Ceſſasq; tuos lucifer ortus,
Iuſſus longam ducere noctem:
Nunc pharetratæ virginis arma
Humeris ſumpſit, crura cothurno
Stringens; tenui ſubligat auro
Per colla comas: modo litoribus
Niuei ſimulans membra iuuenci,
Equitem dorſo per freta tulit: &
Candida plumis brachia mouit,
Placido fundens gutture carmen
Improbus ales. pauci reges
Sacrata colunt iura pudoris.
Non vllius fœdera lecti
Animos tardant: odere thoros:

Nec cognato ſanguine virgo
Tuta eſt: pronus furor in vetita:
Vetitumq; nihil. maxima pars eſt,
Quæ nullius numinis aras
Colat; atque animæ reſtare nihil
Poſt fata putet; nec tartareis
Horrida flagris verbera curet.
Magno miſeri iudice cauſæ
Librantur noſtræ: Æacus vmbras
Ipſe fateri crimina vitæ
Subigit; quidquid geſſimus olim,
Patimur: nulli crimina paruo:
Nec proſunt tituli ordine certo;
Purpura damnat: mediæ turbæ
Pauci nigro liuida fundo
Æquora verrunt. felix pauper,
Qui contentus modico viuit,
Nulliq; grauis tempora ducit.
Pauperis intrat limina nunquam
Immunda Venus: vincere ſomnos
Studio coniux ruſtica tentat:
Seruat caſtos horrida mores
Caſa: nimiæ nec ſoluunt epulæ:
Mox, cum placidæ fata ſenectæ
Vltima curſus egere ſuos,
Felix moritur: nec marmorea
Corpus in arca balſama ſeruant.

Pauci Reges vltima viuunt
Tempora vitæ: pauci ſicca
Morte recedunt. alius diri
Signa cometæ trepidet: nullis
Territa monſtris noſtra ſenectus
Spatium vitæ finiat actæ.
Sed quid trepido nuncius ore
Portat? dubios ede tumultus.

NVNCIVS, CHORVS.

NVN. Terrore quatior: ſceleris ante oculos trucis
Imago pendet: totus horreſco memor:
Hæret palato lingua. *CHO*. Quid portas noui?
NVN. O Thraca tellus, ſcelere perpetuo nocens,
Quamq; omnis ætas damnet: ò dirum nefas!
Quæ Colchis vnquam? qui ve diſperſi Scythæ?
Quæ regio tantum fecit, aut credet nefas?
Abominandus ipſe Diomedes minus.
O ſors acerba: ſcelere punitum ſcelus:
Euerſa cuncta. *CHO*. Mitte perplexe loqui.
Poſt prima ſcelera nemo mirari ſolet,
Si quod ſecundum maius exoritur ſcelus.
NVN. Me me procellæ ferte diſiectum vndique,
Vbi Charybdis Sicula diſturbat freta,
Vbi Scylla canibus latrat accincta rabidis.
CHO. Effare aperte: nos pariter, & te leua.

In

NVN. In parte regiæ vltima ſtabulum latet,
Vbi Diomedes, pectoris impij dominus,
Humana ſæuus pabulum diris feris
Secabat ipſe viſcera; & capita ſanie
Madida ſuperbus alta figebat manu
Foribus tremendis. ſemper infauſtus cruor
Vndabat. ipſe donec armenti dominus
Suo ſcelere perijt, hac pœna nocens.
Hic nocte tota voce ferali gemunt
Vmbræ vagantes: ſtrepitus horrendũ intonat:
Tractæ catenæ: fremere crudeles ibi
Fama eſt leones: ſæpe latratu ſpecus
Reboat: tremiſcit terra: diſcordes deæ
Quatiunt rogales igne funeſto faces.
Inhumata Regis ſæpe deſpecti premit
Manes flagellis turba. quò poſtquam furens
Regina ſubijt, paruulum trahens Itym:
Philomena ſubit. ſpectat hanc primum ſoror:
Deinde natum mater aſpectu truci
Paulum morata, quid, inquit, tempus iuuat
Conterere lacrymis? tempus vlciſci venit
Thala mos pudici coniugis, ſtupra, & ſcelus.
Germana temet excita: hunc ſimilem patri
Iuuat eſſe; dum perficio, quod ſtruxi nefas.
Sic fata, furijs concita, infantem trahit
De more vituli, quem aſpra lactentem rapit
Hyrcana tigris. ille blanditur matri,

Eius lacertis colla complexus puer.
Dimitte matrem: fata te expectant tua:
Dimitte: non eſt mater irata mulier,
Ferior leæna, fœta quæ catulos trahit.
Spes vana patriæ, deperis paruus Itys,
Generoſa proles gentis Actææ, nepos
Mauortis, vnum Thracijs rebus decus:
Pietatis in quo plus tamen fuerat auis,
Animos feroces quamuis à ſtirpe traheres:
Non tu tenebis ſceptra Threicia puer:
Non iura populis patrio ſolio dabis.
Quòd ſi pararent fata tam miſeram necem,
Dum mater amens quærit vlciſci ſcelus
Maiore ſcelere: fata non facient tamen
Te te nocentem: neſcius culpæ cadis.
Vtcunque moritur innocens, felix moritur.
Vade inter vmbras innocens: forſan tibi
Inſtabat aliquid tam bono genito patre.
CHO. Quis, ede, durus raptor infantis fuit?
NVN. Mater citato tranſilit ferro latus.
CHO. Quod tam cruentum dirus admiſit nefas
Diomedes? *NVN.* Vltro cecidit in matrē puer:
Ferale ſtabulum gemuit. *CHO.* O nouũ ſcelus!
NVN. Vtinam ſcelere contenta deſiſtat truci:
Immota mater properat hinc aliud nouum:
Vt hoc prematur ſcelere maiori ſcelus.
CHO. Quid vltra atrocius potuit? an pabulum
In-

Inhumata pueri viſcera exponit feris?
NVN. Vtinam, feroces quod ſolent iræ, rogo &
Humo arcuiſſet; tradat epulandum feris:
Pietas vocetur illa, ſi quæris nefas.
O dira facta! nobili trunco caput
Tereo ſecatur: cetera in partes rapit:
Artus calentes tractat, & fibras manu;
Nec flexit oculos: adiuuat Prognem ſoror:
Coſtas trucidat: pectoris crates rapit:
Humeris lacertos amputat ferro leuis.
Pars hæc aheno voluitur, æſtu laticem
Miſcente: at illa verubus affixa ingemit:
Fumus penates obſidet totos niger:
Diſponit ipſa lancibus diras dapes,
Gnatum parenti. viſcera ediſti tua
Ignarus: etiam hoc deerit; & ſcies miſer.

IDEM CHORVS.

OMNES vincunt dira Promethei
Semina furias: iam nihil eſt, quod
Poſtera credant ſæcula vetitum.
Credimus iras,
Quaſcunque ferunt Colchidos. omnes
Scelerum formas tellus noſtra
Vicit. ſed tu miſerande puer
Vadis ad manes, culpæ neſcius,

Diros. maneant digna parenti
Præmia facti. quanquam digna es
Tu pœna puer, impiæ matris
Victima cæsus: diriq; premit
Viſcera patris.

TEREVS, PROGNE.

FESTVM diem celebrare quis vetat mihi,
Animumq; turbat mobilem incerto metu?
Quid hæret animus? proſpero regnum in ſtatu (eſt:
Ego quid tremiſcam neſcio: timeo tamen.
Modo inter aras, ſacra cum ferrem deis,
Repente cecidit regij capitis decus.
Vidi cruorem verti in obſcœnum pariter
Bacchi liquorem: fleuit in templis ebur:
Emicuit ara: flamma per totam domum
Erepſit. etſi timeo nil, piget tamen
Sacri nefandi. Sed quid horreſco? procul
Secede terror. quiſque præſagit ſibi
Vanos timores: meruit in veros eadem.
Potius retexe flore viridanti comam:
Indulge Baccho; voce feſtiua cane.
PRO. Vide, vt ſuperbus regio ſolio incubet:
Nec credit vllo poſſe deuinci malo
Conuiua lætus. exple ſacratis famem
Dapibus: cruore pelle natorum ſitim.

Sic

Sic te superbe. *TER.* Solus afferre solitam
Gnati quietem posset aspectus mihi.
PRO. Philomena posset sola solamen mihi
Afferre. *TER.* Segnis inter exangues iacet.
PRO. Idem inter vmbras natus exangues cubat:
TER. Omitte coniux ista. *PRO.* Coniugem vocas
Nefande Tereu? *TER.* Quod malum audio?
(*PRO.* Nequeo
Crudele gaudium ferre. per totos rigor
Artus cucurrit. iam iuuat vultus patris (meo
Spectare primos. *TER.* Quidquid est, pereat
Gnato. *PRO.* Bene est: scelus peractũ est: hunc
TER. Vocetur: vbi natus latet diu mihi? (amat.
PRO. In te latitat. *TER.* Vbi est Itys? *PRO.* Scies.
TER. Vbi est?
PRO. Stupro sororem qui violat, atque efferus
Linguam trucidat, virginis socios necat;
Epulatus ille est impia natum dape:
Philomena pueri defer extincti caput
In ora patris. huncne cognoscis pater?
Magis an sororem? *TER.* Sustines rerum sator
Tam grauia scelera? an vanus in gentes timor
Fulmen coruscas? misce diluuio omnia:
Fluuij rapaces fontibus ruptis meent.
Dimitte habenas: merge ad infernos lacus
Animas nocentes: pondus inuisum rape:
Dehisce tellus, tartari fundo occule.

Me

Me me triſulco fulmine inuiſum pete
Sator deorum, quo trium moles cecidit
Erecta cælo montium, atque hoſtes feri.
Sum fulminandus ignibus ſacris ego:
Ego ſum cremandus. ſi pater natum paro
Mandare flammis, quas miſer voces dabo?
En ora cerno, quodq; de toto eſt ſuper
Caput cruentum. ſcelere materno occidis,
Culpa parentis. hanc ego merui necem.
Hunc te Ity genitor video? quis fleat ſatis
Meas miſerias? tumulus eſt nati pater.
Qui inhoſpitalis Caucaſus tantum nefas,
Aut quis Procuſtes, quis ve contemptor deum
Buſiris vnquam, quæ barbara vlla immanitas
Commiſit? in me natus innocens iacet,
Dextra parentis cæſus. hoc vno pater
Superos timebam. genitor expleui ſitim
Gnati cruore. da pater, noſtri nimium
Oblite, Mauors tela, vel coniux dabit:
Euiſcerabo corpus; vt grauis redeat
Cibus. negatur? hoc negat Progne mihi?
Philomena præbe: ſi miſer non ſum, nega.
PRO. Iam ſumma voti contigit: Tereus dolet:
Nunc reſtitutum credo germanæ penitus
Raptum pudorem, nunc meis thalamis fidem:
Erepta ferro lingua: nil curo: miſerum
Dum muta videat. virgines ſtupro opprime:
Com-

Commenta mortis funera, & fletus para:
Dum te nequitiæ pigeat aliquando tuæ.
Aduenit ecce tempus, & dies mihi,
Quo te ſuperbe, dum nihil times, premerem.
Manibus parentis cecidit his natus tuus:
Partita pueri corpus in partes ſoror:
Pars hæc aheno voluitur, æſtu laticem
Miſcente: at illa verubus affixa ingemit.
Poſt hæc cruorem miſcui ſacro mero.
Poterat ſine vlla cæde puerili peragi
Vindicta: poteram temet in flammas dare,
Oculosq; preſſis vnguibus ruere, aut aliquam
Inſtruere mortem: pœna ſed viſa eſt leuis,
Quæcunque finem ponit ærumnis nece.
Hũc cerne genitor. *TER*. O nouercales manus;
Quæ Colchis vnquam tanta commiſit ſcelera?
Immitis, atrox illa ſe tantum nece
Contaminauit: ſcelere viciſti ſcelus,
Et morte maius auſa poſt mortem nefas.
Tuum eſt, quod hauſi, crimen, horrendas dapes
Ignarus. *PRO*. Inſons criminis nomen fugit.
TER. Quò quò profanus ciuium aſpectus fugiam?
Quæ latebra miſero tuta? quò præceps ferar?
Me me procellæ trans quoque Oceanũ rapite,
Quò nullus hominum, nec feræ, nec Sol meet:
Aut illigato Rhodopes ſub Threſſiæ iugis
Ales Promethei tundat æternum iecur.

PRO. Rhodopẽ ne poſcis? cara poſt ſtuprũ eſt tibi.
Pete & ſororem, quæ data eſt virgo diu,
Periure Tereu: virgines ſtupro opprimis?
TER. Tu ſæua natum? *PRO*. Fateor, & iuuat, tuum.
TER. Quid meruit infans? *PRO*. Gnatus emeruit
Tuapte culpa. *TER*. Vindices teſtor deos. (mori
PRO. Potius pudoris numen intacti voca.
TER. Te te ſequentur furiæ. *PRO*. Itys ſolus patrẽ.

FINIS.





DE

DE RATIONE VERSVVM, quibus hæc tragœdia conſcripta eſt.

LVCOS & amnes deſero Inferni Iouis.

Carmen archilochicum, trimetrum, iambicum, acatalecticum: aſſumit in diſparibus quidem locis iambum, choreum, ſpondeum, dactylum, & anapæſtum: in paribus autem iambum, choreum, & anapæſtum. hic vero anapæſtus apud comicos frequentius, apud tragicos rarius inuenitur, ita tamen, vt multarum breuium iunctura vitetur.

ORTE Saturno, pelagiq; rector.

In hoc choro continentur duæ metri varietates. prima enim carmina vſque, REX VICTVS, dicuntur ſapphica trochaica: conſtant enim trochæo, ſpondeo, & dactylo, & duobus trochæis. reliqua autem dicuntur glyconica: conſtant autem ſpondeo, choriambo, & pyrrhichio.

NVLLA mortales tenuit voluptas.

Hic chorus continet duas metri diuerſitates. prima quidem, vt in primo choro, ORTE SATVRNO. intermixtum eſt vero carmen Adonicum: quod conſtat primo dactylo, ſecundo ſpondeo, ſiue trochæo. Nota autem vltimam indifferenter ſemper in omni genere metrorum poni.

SACRA Thioneo repetita triennia ſuadent.

Hic chorus continet nouem metri diuerſitates. primum genus metri heroicum, hexametrum, dactylicum, vt SACRA THIONEO. Secundum ſapphicum eſt metrum: conſtat enim primo trochæo, ſecundo ſpondeo, tertio dactylo, quarto choriambo, quinto ſpondeo, ſiue trochæo, vt, HVC ADES PROLES. Tertium conſtat primo dactylo, ſecundo amphimacro, tertio epitrito, quarto pyrrhichio, ſiue iambo, vt, EX VTERO. Quartum, TE TE THRACA VOCAT: vt in primo choro, REX VICTVS. Quintum aſclepiadeum choriambicum: conſtat primo ſpondeo, ſecundo, & tertio choriambo, quarto pyrrhichio, vel iambo, vt, HVC FORMOSE PVER. Sextum conſtat primo pæone, ſecundo ſpondeo, vt, VARIASQVE LYNCAS: &, HEDERA VIRENTI. Septimum, vt in primo choro, ORTE SATVRNO: & in, TERTIA SACRI. Octauum

conſtat

constat primo anapæsto, secundo iambo, tertio spondeo, quarto anapæsto, quinto pyrrhichio, sexto trochæo, septimo trochæo, vel spondeo . nonum, & vltimum, vt in secundo choro, FATA SORORIS: &, LACTEA COLLA, &c.

HVC è latebris procede soror .

In hoc carmine continetur vnicum genus metri, quod dicitur archilochicum: constat autem spondeo, dactylo, & anapæsto indifferenter.


STVDIOSIS S.


CVM in hac tragœdia multas elucere veterum poetarum virtutes eruditi homines iudicarent: communicandam vobis putauimus eo libentius, quòd in hoc genere, præter vnum Senecam, nihil habemus: cuius tragœdijs minimum certe Progne nostra concedit. illud æquo animo feretis, quòd aliquot in locis deformatam mendis, quæ corrigere non licuit, legetis. maiora in posterum, Deo fauente, expectabitis. IN ACADEMIA VENETA M.D.LVIII.


ROMÆ EXCVD. MASCARDVS

CIↃ IↃC XXXVIIII.









IVDITHA
VINDEX
























mm